

F. G. G.

G. h. 12

VII bottom

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
PICCOLOMINI, A.

6261/D

VII 6

ANATOMICAL SOCIETY OF LONDON MEDICAL

ARCHANGELI PICCOLOMINI
FERRARIENSIS
MEDICINÆ PROFESSORIS CIVISQUE ROMANI

ANATOME INTEGRA

REVISA
TABULIS EXPLANATA & ICONIBUS
MIRIFICAM HUMANI CORPORIS FABRICAM
AD
IPSUM NATURÆ ARCHETYPUM
EXPRIMENTIBUS
CUM PRÆFATIONE
AC
EMENDATIONE
JOANNIS FANTONI
Celeberrimi Anatomici & Professoris Taurinensis

VERONÆ
SUMPTIBUS GABRIELIS JULII de FERRARIIS
MDCCLIV

L. S.

Bibliopola.

Caſu contigit, ut in hoc inciderem opus anatomicum poſthumum, utque illud meas perveniret ad manus, dedi perluſtrandum Medicis & Anatomicis non infimi ordinis, viderunt, legerunt, mihique conſilium dederunt, publici ut facerem juris, cui adeoque ut parerem conſilio, nolui certe Publico mea deeſſe opera, quantumvis magno icones incidendæ pretio repeti debebant, ut quilibet æquus rerum æſtimator intelligere poterit, nihil autem pœnitebit ſumtuum, modo, quod ſpero, Publico me inſerviiſſe cognoverim, dum, quæ mortalitas, & communis rerum viciſſitudo eripuiſſe, denſoque oppreſſiſſe bonarum etiam rerum edacis temporis injuria pulvere viſa fuit, in ſcenam reproduco, & publica vertere annitor in commoda. Hæc ratio eſt & origo libri hujus editi, quem ut & Docentibus, qui toties veterum ſcripta deſiderant, & mirantur inventa, & Diſcentibus editione dignum ſe commendet, multis opto votis. Dabam Veronæ Calendis Septembris A. R. S. MDCCLIII.

JOANNES FANTONUS,

MEDICINÆ, atque ANATOMIÆ PROFESSOR TAURINENSIS.

L. S.

NUlla quidem & in Anatome agitur ſine linea dies, & horas tantum non ſingulas novis fœcundas audimus, legimusque inventis, maxime anatomicis, verum ex illis multa ſunt, quæ novitate ſuperbiunt quidem, ſed re penitius inſpecta novi nihil prorſus habent, fraudem autem hanc omnem veterum lectio denudat, quæ omiſſa ſæpe muſcæ volumen elephantis appingit, neque vero hoc ſe tantum reſpectu commendat Lectoribus Antiquitas, ſed &, ſi ſcribere licet e mente omnium, qui libros variorum ſeculorum perlegerunt, habet quævis eruditionis periodus in ſcientiis omnibus aliquod gratum, quod arridet, multorumque captui facilius, uti nec deeſt, quod diſplicet, atque obſcurius eſt. Præcipue laudatur in Veteribus integritas, candor, ut ſi erraſſe quoque hic & ibi alterum deprehendas & alterum, facile tamen invenias, id non propria e culpa factum eſſe, ſed ex ipſa naturæ obſcuritate accidiſſe, atque ob defectum ſubſidiorum, quibus recentioribus ævis felicius Naturæ Corinthum adire licet, ita facile Veterum errores excuſamus, & prohibemus, quo minus illi multa extinguant bona, nobisque diſſuadeant lectionem librorum, quorum tamen uſus non poſſet non admodum eſſe proficuus. Quæ dum applico ad hoc egregium Piccolomini opus, nemo erit ſane, qui vitio vertet, quod ſub hac etiam clariore Anatomes luce producam tamen antiquioris etiam Anatomici opus, quis enim viri hujus Immortalis merita neſcit? quem latet candor, quo Naturam proſecutus eſt, nec ſibi fidens, nec aliis? quem fugiunt anatomica inventa haud pauca, quæ ſubnata fuerunt ex hac ipſa ejusdem prudentiſſima ſolertia, quæ certe diu adhuc venerabitur Poſteritas, ſuumque in ſuccum vertet, Sanguinemque? Primus videlicet ille membranam adipi peculiarem eſſe obſervavit, deſcripſitque, nominavit eam poſtea Riolanus adipoſam, primus ille, attento certe judicio cineritiam alteram cerebri ſubſtantiam diſtinxit a medullari, & corticem proprie cerebrum appellavit, medullam autem denuo ſeparavit in globoſam, oblongatam, quæ caudicis inſtar exſtructa eſt, & ſpinalem; primus nervos omnes ab oblongata prodire medulla contendit, primus mammillares proceſſus nervos vocavit odoratorios; neque ſubterfugit ejus indaginem Naturæ mirum illud artificium, quod inteſtini cœci principio applicuit, obſervavit ſcilicet ibi tres intus valvulas, tanquam oſtia quædam ſpectantia deorſum, monuitque, has eo appoſitas eſſe fine, ut ſordibus remeaturis obicem ponerent; primus ille membranaceos illos canales, fiſtulasve operculo tectas carnoſo, per quas urina percolatur in renibus, exactius multo deſcripſit, ac quidem Carpus & Maſſa, &, quam Carpus jam deſcripſerat venæ portæ cum cava intra hepar anaſtomoſin, primus delineatam, depictamque dedit; candidam abdominis lineam ejusdem muſculis interjectam notavit etiam deſcripſitque primus; ita & peritonæum ubique geminum, & e duabus conflatum tunicis idem ſtatuit. Non autem opus eſt, his adeo ſpecialibus induſtriæ ſummæ atque Dexteritatis anatomicæ Magni Viri argumentis, teſtem rei omnibus majorem hunc ipſum habemus librum, maxime quoque prælectiones anatomicas, quas Romæ in folio Anno 1586. adeoque viginti circiter poſt Euſtachium annis hac edidit inſcriptione: Anatomicæ prælectiones Archangeli Piccolhomini, Ferrarienſis, Civisque Romani, explicantes mirificam corporis humani fabricam, atque animæ vires, quibus corporis partibus, tanquam inſtrumentis ad ſuas obeundas actiones utatur, ſicuti tota anima toto corpore.

Conſultum igitur mihi viſum fuit hanc edere anatomen integram tam in gratiam Docentium, quam tironum Anatomiæ, neque dubito, quin operæ pretium ſolvat largus, qui ſperari poteſt ex ejus editione, fructus. Plurima enim ſingulæ tabulæ continent attentione digniſſima, ut mirari non ſatis poſſis induſtriam, quam impendit ſummam, & prodeſſe ſpectatoribus voluit, Lectoribusque. Pauciſſima ſunt, quæ mutavi, aliqua tamen hic & ibi addidi, alibi Auctoris mentem explanavi uberius, itaque hac utere B. L. mea quidem tenui opella, ſed magno veritatum anatomicarum ab Auctore propoſitarum Theſauro, & ex eo aſſueſce venerabundæ mirificorum ſummi Creatoris Operum admirationi, quæ ipſa, præſertim abſtracta e contemplatione ſtructuræ humani corporis, artificiis undique pleniſſimæ, non invita quidem Minerva, piam excitabit in te adorationem Divini Numinis, cujus in gloriam vertere, quæ ſcimus, oportet omnia! ſcripſi Auguſtæ Taurinorum. Calendis Auguſti A. R. S. MDCCXV.

CAPUT I.

De forma Hominis externa, & denominationibus regionum corporis ejus omnium externarum.

Metiemur capite hoc externam hominis formam, & a capite ad calcem perluſtrabimus, deſcribemus, delineabimus, atque denominabimus idiomate anatomico regiones corporis potiores.

Ordiamur a *Capite*: Pars ejus *Capillata*, quæ pertingit ad ſummum colli uſque, complectitur *Sinciput*, quandoque calvum, *Verticem*, quaſi centrum piloſi circuli, & *occiput*, quod ab utroque latere *temporibus*, quorum depreſſæ paululum convexitati, *aures externæ* appoſitæ ſunt, ornatum eſt. In *auribus* his diſtinguitur perimeter extrema, quæ *capreolus*, vel & *Helix* audit, oppoſita huic arcuata eminentia vocatur *anthelix*, interjecta his cavitas ſulcata *ſcapha* dicitur, prominentia helici & anthelici ſuperne interpoſita, temporibusque vicina, *tragus*, *hircus*, tenuiſſimis obſitus eſt pilis, huic oppoſitus ab inferna parte anguloſus nodus eſt *antitragus*, jam vero helicem & anthelicem terminat pendulus quidam appendix ex ovato leniter acuminatus, irregularis figuræ, is eſt *lobus auriculæ*. Obſervas autem ſupra hunc lobum, & tragum inter ac antitragum hiatum inſignem, patulum, dicitur *Concha*, ducitque in fiſtulam anguſtiorem *auditorii meatus* ad ipſos *internæ auris* receſſus exporrectam, hicque meatus canalis eſt tortuoſus, anterius cartilagineus, poſterius oſſeus, ut ſceletus docet, ad ejus introitum pili ſunt tenues, convergentes, & glandulæ flaveſcentes, quæ *cerumen aurium*, mellis e mora ſpiſſitudinem induens, elaborant & excernunt, & ipſa illa pars meatus anterior, ille conchæ iſthmus, in quo cerumen illud colligitur, *alvearium* dici ſolet.

Jam vero glabra capitis pars anterior a fronte vel ſutura coronali ad mentum uſque protenſa *faciem* comprehendit, in qua *ſenſuum* aliqua neceſſaria locantur *organa*. Suprema hujus faciei pars ad ſupercilia extenſa uſque, multisque lineis, ſulcis, rugis, transverſalibus & longitudinalibus, quibus phyſiognomi frequenter uti ſolent, exarata *frons* eſt, cujus imo ex utroque latere *ſupercilia* inſident, ſurſum deorſumque ſe moventia, pilis obſita, elata pauliſper interioribus arcuum extremis convergentibus ad ima prope naſum interjectum, is enim diſcrimen utriusque ſupercilii determinat, vocaturque proximum, quod ſupra hunc planum interjacet interſtitium, *glabella*, *intercile*, diſtinguimus autem in ipſo *naſo* ejusdem *dorſum*, quod conſtituunt plana inclinata, ſibimet invicem adaptata, per longitudinem naſi excurrentia omnem, vel utrumque naſi latus, ſed acuminata illa dorſi eminentia, concurſus illorum planorum angulus eſt *ſpina naſi*, globulus in ejus extremitate vocatur *naſi orbiculus*, molles, penduli, lobuli qui ſunt ad ima naſi, eumque finiunt ibi ad latus, vocantur, *alæ*, *pinnæ narium*, *nares* ipſæ ſunt duo naſi hiatus, quos dividit paries intergerinus, qui *columna* dicitur, pilos autem intus pronaſcentes *vibriſſas* nominant. Sed redeamus ad ſupercilia: ſub illis *oculi* ſunt, *palpebris* ornati, *ſuperiore* ac *inferiore*, illa mobilis eſt, hæc immobilis, utraque arcum piloſum habet, qui *ciliorum* nomine venit, ſedet ſub his palpebris oculus immerſus cavo, quod ipſi ejus cauſa inſculptum eſt oſſi, palpebræ autem, ubi ad extrema convergunt, formant *angulos*, *canthos*, *majorem* quidem *internum* ad naſum, ubi duo foramina minora *puncta lachrymalia* vocant, & *caruncula lachrymalis* rubella conſpicua ſunt, *minorem* autem, *externum* tempora verſus, quando vero hi anguli divergunt, & aperiuntur integræ palpebræ, e medio prominet *album oculi*, reliquusque niger *oculi bulbus*, globusve, obviam venit intuenti *oculi pupilla*, *radiata iride*, tanquam corona, vel annulo cincta, ipſam vero pupillam implet *cryſtallina* convexa *lens*. Sub oculis & ad ima fere lateris naſi *genæ*, *malæ* protuberant, laxæ, molles, has, ubi ſunt inflatæ, *buccas* appellant, poſſemus eas pro pomis faciei vendere, vel certe pro ſede pudoris declarare, cum enim erubeſcit mens, rubeſcunt genæ, ſubtus magna lateralis *oris cavea* ſubeſt, quæ majorem expanſionem admittit, & adacto vi aëre aſſurgere genam facit, ſed & hoc emiſſo, ſubſidente gena, foveam relinquit, quam aliqui *veneris umbilicum* vocant; Ita vero tandem tranſimus ad *maxillas*, quas dividunt oſteologi communiter in *ſuperiorem* & *inferiorem*, ad illam referendo ſpatium illud omne, quod eſt ſub oculis ab utro-

que

que latere ad *hiatum oris* uſque, prominetque notabiliter & ultra oculos, & inferiorem, quæ ſub oris hiatu eſt, maxillam, ſed in vivo homine, aut cadavere recente integro, inſidet arcuatæ illi extremæ ſuperiori maxillæ caro muſculoſa integumentis tecta communibus, quibus ſub naſo impreſſa eſt fovea cymbiformis, quam *philtrum* vocant, ſive *lacunam*, ad latera vero inſculptas maxime ridentibus obſervamus alias foveas oblongas, quas *myſtaces* appellant, his inſidet in quibusdam alata illa barba ſupra mentum, de quo poſtea; omnis autem illa mollis, pendula, mobilis caro, quæ maxillam ſuperiorem notabili terminat hiatu, & ſubtus epidennide nudata grate rubra eſt, *labii ſuperioris* nomine venit, ſed huic ſuperiori maxillæ mobili articulo applicari poteſt os angulare, *maxilla inferior*, quam ſimile *labium*, vel *labrum*, ſuperne terminat, quod *inferius* audit, ſuperiori, ſi a ſitu diſceſſeris, per omnia ſimile, ſub hoc inferiori labio, vel potius ad imum totius maxillæ medium mollis globoſus, latus nodus eſt, cujus in centro fere foveolam obſervare licet, *galaſinum* vel *gelaſinum* a ridendo eam vocant; ſub annis pubertatis in area illa omni & media & laterali, quæ ſub inferiori eſt labio, ſcilicet *mento*, rigidi multi pili excreſcunt juvenibus & viris, *barbam* appellant ſuperficiem hanc piloſam totam, duo illa inter labia rubra magnus intercedit hiatus, eſt *os*, fiſſura oblonga, vario modo amplianda, & arctanda, prout hæc labia propius applicantur ad ſe invicem, aut etiam dimoventur, ubi vero concurrunt labia, ſuperius & inferius, formant, uti res ipſa loquitur, angulum, qui, quoniam ad os pertinet, *oris angulus* dicitur, quando autem ita diducuntur a ſe invicem maxillæ, osque aperitur, tum attento ſpectatori non *dentes* modo in conſpectum prodeunt, & *gingivæ*, verum & *palatum inferius* & *ſuperius*, *ſtabile*, fixum, & *mobile*, *lingua*, in *faucibus*: *tonſillæ*, *uvula*, *epiglottis*, *pharynx*.

Caput ſequitur *Pectus*, media *trunci* regio, *medius venter*, uti *caput venter ſupremus* audit, pectori huic inſiſtit *collum*, in quo diſtinguere licet partem anteriorem, & poſteriorem, illa *jugulum*, hæc autem *cervix* dicitur, jugulum haud longe, ubi deſcendit a capite, reſiſtentem in viris prominentiam habet, quam *Adami pomum* appellant, ſed, ubi anterius collum deſinit, in hominibus non maxime obeſis duri laterales arcus diſtinguuntur, qui ſunt *oſſa claviculæ*, quorum extrema in ſummo pectoris agglutinantur *oſſi pectoris*, vel *ſterni*, quod ab imis aſcendit, & finitur in fine colli antico, ibi ſubjacet *guttur*, *larynx*, ſummitas illius tubi, per quem aërem in pulmones inſpiramus, & ex iisdem exprimimus, quando ille tubus in deglutientibus, aut exſpirantibus valide ſubito ſurſum elevatur, & multum contrahitur, ſubſident inſidentes carnes cum integumentis, & ſingularem efficiunt ad ima colli, anterioris foveolam cymbiformem, nullo peculiari hactenus inſignitam nomine; habet vero etiam *cervix*, eamque conſtantem, in omni ſtatu corporis, foveam, quam *nucham* dicunt. Medius hic venter, quem alii *thoracem* quoque nominant, ad latus utrumque *cartilaginibus*, & *oſſibus* mobilibus, arcuatis limitatus eſt, verus fornix, intus muſculoſa pellis, *diaphragma* eſt, ad imum fornicis, hæ cartilagines & oſſa, e quibus *coſtæ* ſic dictæ componuntur, per carnes cohærent & membranas, in ſummo hujus *thorax* ſtricte ſic dictus eſt, planus ſatis, cui ſubeſt *os ſterni*, hanc autem planitiem mox, in ſexu ſequiori majores, *mammæ* interrumpunt binæ, globi molles, ampli, qui pectoris parti mediæ laterali, tamen adhuc anticæ inſident, glabro interjecto ſpatio, quod *ſororiationis intervallum* appellant, e centro autem quaſi harum mammarum *papillæ* prominent paulo rigidiores, & ſolidiores, magis autem ſenſiles ad tactum ipſa mammarum ſubſtantia, cingit has annulus fuſcus, duas, tres lineas latus, minimis aſper monticulis, appellant hunc *areolam*, maximam autem pectoris partem efficit arca coſtarum ad poſteriora uſque thoracis exporrectarum, & ejus etiam latera conſtituentium; quæ cum omnibus illis intercoſtalibus intervallis *pleurarum* proprio nomine veniunt, poſtica thoracis pars *dorſum* proprie, vel *tergum* audit, cujus lateribus ſummis mobilia inſident angularia oſſa, quæ, quoties brachia elevamus, moventur & elevantur ſimul, ſunt *ſcapulæ*, affidet utrique tergi lateri una, interjecta columna rigida oſſea, utcunque flexili, prominente, quam *dorſi ſpinam* vocant, ubi autem ea cedit ad latus tactui, neque coſtas emittit amplius ullas, ſedes intus *diaphragmatis*, & paulo infra dein *renum* etiam eſt. Verum & anterius manifeſtum termini thoracis eſt ſignum, ſcilicet ſub mammis, mediumque ad imum pectoris fovea eſt inſignis, quæ major fit, dum exſpiramus, vocant *ſcrobiculum cordis*, eſt ſub eo *ventriculus* immediate, ſed appellant, inepto quidem nomine, illam omnem circa ſcrobiculum cordis aream, *præcordia*; Videmus autem appenſum utrique pectoris lateri *brachium*, unde ſuprema pectoris latitudo haud parum augetur, hoc omne brachium communi nomine *artus* vel *extremitatis ſuperioris* venit, ſuprema ejus globoſa prominentia, quæ pectoris lateri per carnes & membranas nexa eſt, *lacertus*, *humerus*, rectius *humeri ſummitas* dicitur, nominant alii *axillam*, quamvis alii proprie hoc vocabulum ſaltem applicent ad *alam*, foveam ſcilicet illam, quæ ſub humero eſt, pilis obſitam, procedit ab hoc humero teres

quædam columna recta via, nullibi ſubullo ejus motu per partes mutabilis & incurvabilis, rigiditatem efficit poſitum intus humeri os, vocant κατ' ἐξοχην *brachium*, ſed ubi tertiam circiter longitudinis totius artus partem emenſum eſt brachium hoc, in angulum flecti extremitas tota poteſt ad interiora, vocatur illa flexura *cubitus*, *ulna*, flexa vero ſic extus *gibbum* format, qui ab oſſe, unde naſcitur, *ancone*, vel *olecranon* dicitur, ab hac jam flexura duobus ex oſſibus hæc ſuperior extremitas componitur, diſtinguit hæc ipſe tactus, adglutinata ſunt ſibimet invicem leniter, idque, quod per longitudinem excurrit pollicem verſus, *radius*, & omnis illa *regio radialis*, ut alterum contra, quod minimo digito reſpondet, *ulnæ*, *cubiti os* appellatur, & *regioni*, per quam deſcendit, *ulnaris*, vel *cubitalis* nomen dat, ubi vero per aliquam longitudinem hæc decurrerunt oſſa, flecti denuo & incurvari extremitas poteſt ſuperior, & ad ultimum ulnæ oſſis finem *gibbus* eminet, ad *latus* extremitatis *externum*, ibi *manus* incipit, principio, quod *carpus* nominatur, coagmentato e binis minorum oſſium variæ figuræ ordinibus, hic autem vix unum alterumve pollicem emetitur carpus, & novam ſubit, eamque primam flexuram manus, ab ea flexura procedit *dorſum* quod vocatur, hujus *manus*, paululum gibbum, quatuor ex oſſibus, intermediis diſtinctis carnibus, compoſitum per longitudinem protenſis, nominant hanc oſſium compagem *metacarpum*, *palmam*, quæ igitur media eſt extremæ manus pars, carpum inter digitosque interjecta, interna metacarpi hujus ſuperficies concava lineis exarata, ſulcisque variæ directionis, quibus Chiromanthæ utuntur vaticinaturi, *vola manus* dicitur, augetur autem illius metacarpi extremitas adpoſitis *digitis* qui tres diſtinctas habent partes, & articulos, *phalanges*, *internodia* vocant ſingulas has partes, horum digitorum quinque ſunt numero, *pollex*, qui quaſi retro poſitus proximus eſt radio, *index* huic proximus, *medius*, *impudicus*, longiſſimus omnium, huic vicinus *annularis*, & *auricularis* denique, anguſtiſſimus omnium, quo aures ſcalpimus, deinde in his digitis Anatomici diſtinguunt *faciem*, vel *ſuperficiem internam* & *externam*, hanc vocant, quæ dorſo manus continuatur, illam, quæ volæ manus, *latus* autem *digitorum internum* eſt, quod pendulo in ſtatu naturali brachio *truncum* corporis reſpicit, *externum*, quod verſus ulnam, ſeu cubitum. Extremæ digitorum phalanges, de quibus dictum eſt ſupra, in parte ſuprema & extima *unguibus* ornatæ ſunt, lamellis arcuato-convexis, pellucidis, ſubrubellis, ſed ea parte, quæ proxima eſt initio ultimæ hujus, extremæque phalangis, ſegmento albo, quod ob figuram *lunula* dicitur, diſtinctis, id autem ſegmentum in aliis majus, in aliis minus eſt, in quibusdam digitis fere prorſus diſparet.

Nunc autem accedimus ad mollem *infimum ventrem*, qui *abdomen* dicitur, hujus pars anterior incipiens mox a ſcrobiculo cordis, qui eſt in medio, varias dividitur in regiones, quod enim ſpatium eſt ab eo ſcrobiculo, uſque ad aream, duobus ab umbilico pollicibus diſtantem, *regionis epigaſtricæ*, aut *epigaſtrii* nomine venit, hujus partes laterales ſub imis illis coſtarum ſpuriarum cartilaginibus, vocant *hypochondria*, *regionem umbilicalem* ad pollices duos determinant ſupra, totidemque infra *umbilicum*, hujus regio ſponte patet, ſed, quidquid ſub hac umbilicali regione ſpatii eſt ad *pudenda* uſque, nominant *hypogaſtricam regionem*, aut *hypogaſtrium*, ejusque partes laterales *ilia*, ſub imo hujus regionis hypogaſtricæ *veſica* eſt *urinaria*, inde jam tumeſcente ab utraque parte triangulo quaſi deſcendit *regio pubis* crinibus obſita, cujus in medio quaſi, centro fere corporis totius, *genitalia* locata ſunt *externa*, quæ in viris quidem efficit, *penis*, *virga virilis*, *membrum virile*, pendulus, mollis cylinder, qui e media pube prodit, is rugoſam ſuperinductam cutem habet, quæ partem penis extremam, ſingulariter exaſciatam, bulboſam, ut glandem referat, unde *glans penis* vocatur, raro tegit omnem; ſed retro limbum glandis poſteriorem acutum, qui *glandis corona* vocatur, replicatur & corrugatur facile, vocatur ea rugoſa cutis pars, quæ toti *glandi*, ſive *balano* ſuperinduci poteſt, *præputium*, &, quæ ſubtus medio ſubtenſa eſt balano, brevis portiuncula, *frænulum*, quod reliquum præter glandem eſt, vocant *corpus penis*, & ſuperficiem ſupremam, quæ a ſumma pube recta linea deſcendit per omnem ejus longitudinem, *dorſum penis*, porro autem cum intuemur extremum glandis, obſervamus eam in medio perforatam, eſt ibi *orificium urethræ*, illius ductus, per quem viri & urinam naturaliter emittunt, & ſemen; ſub illa virga virili rotundus fere, rugoſusque ſaccus eſt, quaſi burſula quædam crinibus poſt pubertatis annos conferto agmine obſita, *ſcrotum* vocant, videtur id in medio diſtinctum eſſe linea quadam, ac ſi conſutum eſſet, appellant lineam *futuram ſcroti*, quando autem tactu exploramus hoc ſcrotum, reſiſtentes pervagantur illud globuli ovati, bini, volubiles quaquaverſum, ſunt *teſticuli*, *teſtes viriles*; tam vero in mulieribus hæc eſt genitalium externorum ratio: ſub regione pubis mollis tumor eſt, cui nomen *montis veneris* dedere, ab eo continuantur ad utrumque latus deſcendentes oblongi

longi colles, laxi, crinibus denſiſſime obſiti, ſunt hi *labia pudendorum*, *alæ*, *labia vulvæ*, nam *vulvam*, ſive *pudendum* hoc omne ſpatium, quod utrumque labium occupat, appellant, ubi labia illa diducis, obſervas rimam oblongam, ante conniventem, ſed valde dilatabilem, eſt *orificium vaginæ*, ſeu, ut alii male dixerunt, *orificium uteri externum*, ducit enim in *vaginam*, tubum illum rugoſum, ab utero, intus profunde locato, exporrectum ad exteriora, in ſuprema hujus orificii parte rigidulus prominet tenuis, non autem perforatus cylindricus nodulus, peni ſimilis virili, eſt *clitoris*, *mentula muliebris*, ſuo etiam inſtructa *præputio*, ſub ea clitoride foraminulum obſervas, eſt orificium *urethræ*, per quod urinam emittit mulier, verum ad partem inferiorem *orificii vaginæ* ſunt fuſcæ; atræ, pendulæ, binæ, laxæ laciniæ, criſtæ gallorum ſub gutture ſimiles, quæ ſibimet invicem admovere ſe poſſunt, vocantur *nymphæ*, in virgine præterea mox pone orificium vaginæ invenis reſiſtentem membranam, quæ orificium ambit, & viam in vaginam tantum non omnem præcludit, vocatur *hymen*, ſed ea diſparet in iis, quæ virum admiſere, in quibus vix aliud quidquam ea in regione obſervare licet præter lacinias pendulas, irregulares, folii myrti quodammodo formam habentes, unde *caruncul æ*, *myrtiformes* audiunt; quæ autem nunc in utroque ſexu ad latera pubis & genitalium poſita eſt regio, *inguen*, *inguina*, *regionem inguinalem* dicere conſueverunt.

Verum etiam illius infimi ventris poſticæ regiones ſua ſortiuntur nomina, & primo quidem ſuprema pars *imi dorſi* nomine venit, ad quam concurrunt & *vertebræ* ultimæ *dorſales*, & latiores illæ imæ *ſpinæ dorſi vertebræ* quinque *lumbares*, unde maxima illius poſticæ planioris infimi ventris regionis pars, quæ ſupra nates eſt, *regio lumbaris* audit, tamen ubi tangenti manui non reſiſtunt amplius aſperæ lumborum vertebræ, latitudo illa omnis ad nates uſque *regio ſacra*, *crux* dicitur, ſub illa ex utraque parte mollis, ampla, globoſa maſſa eſt, ipſe *podex*, quem alii *clunes*, *nates* vocant, dividit has incile, quod tactu durum & reſiſtens eſt ab extremitate *ſacri oſſis* & *coccygis*, dicunt incile *pygam*, ubi deſinit hæc, rima eſt connivens, oblonga, ſed in circularem dilatabilis, ipſe hæc *anus* eſt, *orificium inteſtini recti*, per quod evacuamus alvum, & excrementa e corpore dimittimus. Sed ab eo ano retrorſum eundo, vel antrorſum potius, ſcrotum verſus in viris, vulvam verſus in feminis, molle, carnoſum ſpatium eſt, quod *perinæum* vocant, ſub eo retro veſica urinaria, & ante urethra ſita eſt; quando denique clunium partem imam, poſteriorem ad illa extrema interna, quæ ſibimet invicem contigua ſunt, profunde premis, obviam ibit prementi manui, digitove os, quod eſt *os iſchium*, unde regionem hanc dicunt *Iſchia*, quibus proprie inſidemus.

Omnis autem hic infimus venter ſedet utramque inter *coxam*, quo nomine coxarum proprie venire ſolet omnis illa regio ſub hypogaſtrio, & latitudo, quam truncus emetitur ad pedes uſque, vel femora, cujus fundamentum ſunt *oſſa ilium*, *iſchii* (quod græcum vocabulum proprie coxam denotat,) & *pubis*, quæ tria oſſa vulgo *innominata* vocant, ſtricto autem ſenſu *coxa*, *coxendix* vel *Iſchion* eſt illa media coxæ oſſis arcuata pars ab externo imo trunci latere poſita, profunde anterius ſinuata, ut recipiat globoſum *capitis femoris* extremum, ſupremum; ergo nunc progredimur ad *pedem*, in quo, uti alibi, diſtinguere ſolent *partem*, aut ſuperficiem *internam*, & *externam*, illa, quæ aliis etiam *domeſtica* dicitur, eſt ea, quæ fit contigua pedi altero, ubi pedes adducimus ad ſe invicem, hæc, quæ in externo eſt latere, deinde vero dividunt etiam pedem, quem in contradiſtinctionem brachii communi nomine *artus* vel *extremitatis inferioris* alii etiam inſigniunt, in *femur*, *crus*, & *pedem extremum*, *femur* eſt illa craſſa columna, linea, ut apparet, recta deſcendens ex imo utriusque trunci lateris, carnibusque immerſa ſpiſſis, habet hæc in ſuo principio ad latus internum acutam prominentiam, quæ *trochanter femoris minor* dicitur, ad imum hujus femoris finem flecti pes poteſt, vocant hanc regionem *genu*, *flexuram genu*, inſidet huic anterius mobile os ex ovato triangulare, vel ſolo diſtinguendum tactu, eſt *patella*, *rotula*, *mola*, quæ ſub illa, vel potius pone illam flexuram regio eſt, *poples* audit, quemadmodum autem in artu, vel extremitate ſuperiore, ita & in hac inferiore, columnæ pedis pars ea, quæ incipit ſub flexura ejus prima uſque ad ſecundam, *crus* dicta, duobus ex oſſibus conflatur, quorum alterum craſſius multo, *tibia* ſcilicet, anteriora magis & latus internum *cruris* occupat, alterum tenuius poſticam pedis partem & lateralem externam regionem pro ſede habet, vocatur *fibula*, *perone*, tibia illa paucas inſidentes carnes habet in parte antica, ſolisque fere integumentis tecta eſt communibus, unde acutus ibi ſenſus eſt, & facilis dolor ab injuriis naſcitur externis, durisque cum vi applicatis corporibus, ſed poſticæ *tibiæ*, *fibulæque* ſuperficiei multæ, eæque ſpiſſæ, in teretem fere tumorem, pilis conſitum, coagmentatæ carnes inſident, vocant *ſuras*, quarum internæ parti, quæ alterum ſemper in ſtatu naturali pedem reſpicit, applicari veſicatoria ſolent in pedibus;

ubi desinit crus, & nova flexio fit pedis, & utrumque pedis latus monticulum acutum habet, & alter quidem, qui ab eminente tibiæ ossis infima extremitate fit, ad latus pedis internum, dicitur *malleolus internus*, alter, qui ex infima extremitate fibulæ nascitur, ad latus pedis externum, audit *malleolus externus*, jamque sumus in *extremo pede*, qui tres iterum in partes dispescitur & regiones, quarum prima est: *tarsi*, qui a fine cruris incipit, e duobus ordinibus ossium compositus, ut carpus, numero autem septem tantum, ut carpus octo habet, postica hujus tarsi pars, fere subylobosa *calx* est, *calcaneus* immediate cruris fini assidens, ad ejus fere centrum descendit e media inferna cruris postica parte durus, tendineus, latus funis & calci adglutinatur, est *Achillis tendo*, e pluribus conflatus tendinibus, eum tactu facile percipimus sub integumentis, a superficie antica vero, superna, elata, quæ usque ad pedis digitos *dorsi pedis* nomine venit, uti subjecta concava pars *pedis planta* dicitur, primus arcuatus, latusque monticulus, est *astragalus*, sive *talus*, principium extremi pedis, proxime ante finem cruris positum, in superna & antica ejus parte, reliquum dorsi pedis ad proximam usque flexuram communi *tarsi* nomine ornatur, sed est breve spatium ad illam usque flexuram, ubi ex ea per longum porriguntur ad analogiam manus quinque ossa, paululum a se invicem distantia, fere teretia, tamen in dorso pedis magis gibba, vocatur horum compages *metatarsus*, *pecten*, ubi desinunt hæc metatarsi ossa, nova flexura est, & metatarsi totius simul, & singulorum ejus ossium, scilicet applicantur singulis metatarsi ossium extremis anterioribus *digiti pedis*, quorum numero quinque sunt, & habent etiam hi digiti tot *articulos* & *phalanges* aut *internodia*, quot habent digiti manus, & quæ supra monita fuere de superficie vel *facie* horum externa & interna, de latere interno & externo, de unguibus & eorum lunula, cadunt in hos etiam digitos, ea sola est differentia, quod, qui pollici manus respondere videtur, & extremus est ad latus pedis internum, latior paulo sit & brevior pollice, dicaturque *hallux*, reliqui autem nullis peculiaribus nominibus, verum solo numero ad hallucem relato discernantur, ita proximus halluci dicitur *primus ab halluce*, proximus huic *secundus ab halluce*, atque sic porro.

Videmus ex hac etiam superficiaria humani corporis consideratione, discimus e solo hoc ejus *externo habitu*, quam egregie illud exasciaverit Divinus Architectus, quam scite combinaverit & coordinaverit omnes ejus partes, ut singulæ singulis aptissime inservirent, & conspirarent ad effectus, ususque, quos resultare inde voluit in corpus totum Adorandus Auctor, quam bellam ubique observaverit, utilemque simul partium omnium symmetriam, nulli certe imitabilem arti humanæ, vel summæ, quam speciosam toti corpori formam dederit, quam eleganter & splendide a forma corporis brutorum hanc distinxerit, cum juxta Ovidium

> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus!

CAPUT II.

De partibus humani corporis similaribus, uniformibus, quæ corpus & totum investiunt, & singulas ejus partes.

QUodsi a carnibus, membranis, vasis vel sanguineis, vel aliis, nervis, ossibus, ligamentis, tendinibus, cartilaginibus, aliisve solidis partibus quibuscunque attentis sensibus & mente abstrahere volumus ideam simplicissimæ solidæ partis, quomodocunque vertamus objecta & intueamur, continuo recurret *fibræ* notio, utpote fundamenti partium corporis humani solidarum omnium, quod enim præter fibras est solidorum, quemadmodum viscerum præcipue parenchymata & ossa tale quid exprimere videntur, id *inorganicum* videtur esse *concrementum*; solent quidem alias fibræ analysin e primis prosequi & repetere principiis physicis atque chemicis, atque fibram sibi repræsentare tanquam gracilem cylindrum, lineamve modicæ latitudinis, cujus puncta constituant *atomi terrestres*, interjecto *glutine gelatinoso*, & *oleoso* sibimet invicem adunatæ, cohærentesque, mihi autem videtur, nostro certe tempore hunc nimis retro duci processum; induentem formam processus in infinitum cum notabili saltu, tanto facilius evitabilem, cum sciamus, hominem nasci ex homine, id est, humana jam transire ad materiam in hominem effingendam, neque fieri demum in generatione hominis mixtionem primorum hominis elementorum physicorum, uno

uno verbo: ſuſpicor ego, ſemen aut virile ſolum, aut per me quoque, id, quod accedit e muliere, continere jam in ſe prima ſtamina ſolidorum novi homuncionis, ſimpliciſſimas veras *fibras primitivas*, ſed quoniam obſervamus, fibras adulti perquam varias eſſe, mirificeque inter ſe differre, ſtatuo ſimul, his filis undique continuo aliquid apponi, quod partim teneras has fundamentales ſuffulciat fibras, partim lacunas illarum interſtitiis interjectas expleat, partim & ſenſim ſenſimque in novas fibras, prioribus ſimiles, in adultis perfici poſſit, nec enim exiſtimo, aliam eſſe materiam illarum fibrarum primitivarum, & aliam reliquarum, omnes procul dubio componuntur e parte ſanguinis gelatinoſa, denſata, ſiccata, compacta in fila talia, eam vero perfectionem jam habenti fibræ primitivæ, antequam dicere poſſis, naſci hominem, a parentibus, expectant demum aliæ a ſanguine matris, & actione vaſorum nati hominis, ceterum perinde mihi eſt, ſive dicas: illam gelatinoſam partem, fibrarumque materiam componi e moleculis terreſtribus, ope glutinis nexis, ſive aliis principiis, in eo non difficilis ero, modo non ſubrepat ideam geneſis anatomicam, aut phyſiologicam phyſica talis, elementaris origo. Jam ſi nobis repræſentamus tenax glutinis filum ſummæ, quam aſſequi ratio poteſt, tenuitatis, denſatum, & ſiccatum, ut nullis cedat amplius cohæſio emollientibus, vel diluentibus, *fibram* habemus omnium ſimpliciſſimam, quæ ſenſibus denudari recuſat, a priori autem exiſtens certo demonſtrari poteſt, quando autem ea tantum ſequimur, quæ ſenſus aperiunt, duas præſertim inveniemus fibrarum ſpecies, ad quas reſolvi reliquæ omnes poſſunt, utpote compoſitæ ex illis, hæ ſunt fibræ illæ lineares, quarum longitudo ad latitudinem inſignem habet rationem, tales videmus in oſſibus, tendinibus, ligamentis, muſculis, deinde autem aliæ fibræ ſunt, ubi latitudo ſæpe major cum longitudine minore conjungitur, tales fibræ ſunt celebris illius *telæ*, vel *tunicæ celluloſæ*, quam fibrillæ partim, & laminulæ partim numero infinitæ componunt, quæ directione varia ſpatiola & areolas intercipiunt, omnesque in humano corpore partes conjungunt, ſed hujus telæ varia in diverſis partibus & regionibus ratio eſt, ut modo laxior ſit, modo etiam firmior; & hæc celluloſa tela ubique locorum in corpore obvia eſt, ubicunque aut membranæ ſunt, aut vaſa, viſcera, nervi, muſculive, imo vero, quæcunque aliæ ſunt in corpore membranæ, eæ quidem conflantur ex hac, in univerſum enim, ſi fibras multas appoſueris ſibimet invicem ad latera *membranæ* ideam habes, ſimpliciſſima vero harum eſt celluloſa, jam, ſi multa hujus ſibimet invicem impoſita ſtrata tibi fingis, ſi celluloſam telam ſtipatam, concreſcentibus inter ſe laminulis e concurſu fibrarum plurimarum natis, compreſſisque, denſiores fiunt, compoſitæque magis membranæ, quæ vel manent *lata*, *plana*, rectilinea, vel in cylindros, conos, aliasve tuborum formas convoluta *vaſa* efficiunt, vel in planis ſibi parallelis alias partes involvunt, inveſtiunt nomine *tunicarum*, ſed mirifice habitum & faciem harum membranarum varia mutat compoſitio cum aliis partibus, vaſis, nervis, uti hoc plurimis exemplis patebit in ſequentibus; intueamur *cutem*, quæ totam corporis peripheriam ambit, hæc ſua natura frigida, ſicca, lata & plana, mucaginoſa eſt, proprium *tactus organum*, hæc multas etiam diſtinguit partes, poſuit enim Natura ubique ſenſiles cutes, quoniam neceſſaria eſt ſenſibilitas, quæ ablata cute ceſſatura eſſet; non autem loquor hic de membranis ligamentoſis oſſium, tendinoſis muſculorum, tunica ventriculi & inteſtinorum, de utero, veſica urinaria, & ſimilibus, ſed de illa tantum cute, quæ partibus, quas involvit, ſenſibilitatem impertitur, cujus innumera ſunt exempla, quia nihil eſt, quod ſua tectum non ſit cute, vel pellicula, (licet enim Auctor hic non ſolam illam intelligat *cutem* ſtricte ſic dictam, quæ medium eſt totius corporis involucrum, ſive integumentum univerſale, commune, indicat tamen his ipſis, tunicis reliquis omnibus communem eſſe cum hac naturam, unam eandemque texturam, eſſe quoque alias tactus proprias ſedes, imo forſan omnes illas cuti continuas?) ad has communes tunicas refero etiam eas, quæ hærentem adhuc in utero materno embryonem humanum involvunt, proximam embryoni, quæ amnios audit, mollis, & tenera, exterioremque *chorion*, continuatam ad *hepar uterinum* uſque, ſive *placentam uterinam*, *ſecundinas*, elaborationi ſanguinis ad embryonem ducendi ſervientes, hæc tunica chorion, robuſta, firma, globoſa fere, vel ovata membrana eſt. Deinde autem in homine nato diſtinguimus plurimas tunicas; ita ſuperficiem abdominis internam totam, omniaque inteſtina & viſcera ejus communis quædam obvolvit tunica, laminæ duplicis, robuſtiſſima pergamenæ inſtar chartæ, *peritonæum* vocant, in medio ventre, thorace, ſuperficiem omnem internam, & viſcera obducit alia ſimilis communis tunica, *pleura* dicta, in capite cerebrum duæ *matres*, vel *meninges dura* & *pia*, oſſa ſingula tegit alia tunica, quæ *perioſteum* eſt, muſculis omnibus tunica eſt ſingularis, quæ dicitur: *muſculorum propria*, denique totam corporis noſtri ſuperficiem obvelat una & continua *cuticula*, *epidermis*, extima, ſenſus expers, & ſubjecta huic vera *cutis*, alba, robuſta,

ſta, denſa, cui ſubſternitur *panniculus adipoſus*, in brutis proxime panniculus carnoſus, cujus ope ad varios uſus cutem corrugare poſſunt.

Jam vero de ſingulis loquar diſtinctius; quod attinet ad *peritonæum*, oritur hoc ad primam, tertiamque lumborum vertebram, unde quoque vix absque ruptura ſeparari poteſt, ſubſtantiæ mollis eſt, teneræque, robuſtæque tamen, tenacisque, ſuperficies intus glabra, extus aſpera eſt, circumtenſum eſt abdomini toti, & ejus viſcera contenta obducit omnia, eumque in finem duas finditur in laminas, quas inter locata ſunt, dicunt ideo Anatomici, ſita eſſe abdominis viſcera in *duplicatura peritonæi*, ipſum autem totum peritonæum duplex *saccum* quendam unum communem ſubovatum format, in quo ſimul ea omnia concluduntur, quæ ſunt in duplicatura peritonæi, ſed non vice verſa dicere licet, contenta totius ſacci eſſe in duplicatura membranæ ſaccum conſtituentis. *Extra ſaccum* autem peritonæi ſunt plurimæ partes abdomini adjacentes & circumjacentes, vel & pone illum ſitæ, ita in parte ſuperiore poſtica ſunt *renes*, quos externi peritonæi ſtrati portio velat, deinde ſunt *vaſa ſpermatica virorum*, quibus vaginam peritonæum addit membranaceam, ea comitantem in ſcrotum uſque, vocant hujusmodi lacinias & portiones, quas emittit, *proceſſus peritonæi*, ſed intus in abdomine utriusque ſexus peritonæum hoc originem etiam dat diſtinctis quibusdam membranis, ita inde naſcitur *recte*, *omentum*, *epiploon*, quod inteſtinorum, in ſitu naturali adhuc hærentium, ſuperficiei anticæ quaſi fluctuans inſidet leniter, formamque venatoriæ burſæ habet, anterius ventriculi fundo, ad latera colo & lieni annexum, ſubtilis, polita membrana, multis pellucida vaſis, quorum lateribus multa laxa, mollis appoſita eſt pinguedo, ad imum pendula, libera, deinde proficiſcitur etiam ab hoc peritonæo *meſenterium*, *meſaræum*, quod in medio, quaſi abdominis, tanquam e diſco centrali plicatis in fimbriis lateri ſingulorum cylindrorum inteſtinalium ſe adplicat, eaque inteſtina nectit inter ſe, hocque meſenterium ipſum conſtat e duplici lamina, quam inter digeſta ſunt vaſa quam plurima ſanguinea, lymphatica, lactea, quorum divaricationibus frequenter *glandulæ* aſſident *meſeraicæ*, *meſentericæ*, conglobatæ, hæque omnes interjectæ partes plurimæ immerſæ ſunt pinguedini, bina inter ſtrata hæc profuſæ membranacea; tandem vero, ubi meſenterium hoc, *meſocoli* nomine, omnem fere ampliſſimum coli tubum longa ſua cauda emenſum eſt, principiumque *inteſtini* ultimi, *recti* aſſecutum, finitur. *Pleura*, tunica coſtarum, tenera eſt, fibroſa, tamen firma, robuſta, format hæc *binos ſaccos* parallelos, ellipticos, qui, dum in medio fere pectoris concurrunt, *mediaſtinum* efficiunt, membranam illam inſtar parietis intergerini dividentem utrumque pectoris cavum, ſub medio ſterno per longitudinem ejus excurrentem & ad parallelas dorſi vertebras deſcendentem, ibique accreſcentem, aſſidet huic ſuperius ad ſiniſtrum latus *pericardium*, infra vero quaſi per transverſum opponitur *diaphragma*, cavitatem hoc mediaſtinum notabilem habet, a multis negatam, duplici conſtructum e lamina, licet tenera de reliquo ſit, mollisque membrana; conſtat autem hæc etiam pleura duabus e lamellis, quas inter *vaſa* decurrunt *intercoſtalia*, pronaſcitur e *vertebris thoracis*, aut *dorſalibus* obducitque omnem thoracis internam ſuperficiem, cunctasque coſtas, non excepta ultima, ut voluerunt veterum aliqui, hæc etiam pleura emittit *pericardium*, ſaccum illum, cui cor incluſum eſt, denſum, extus aſperum, intus lævem, politum ad formam cordis, cujus involucrum eſt, effictum, deinde vero proſequentem etiam & applicantem ſe ad modum vaginæ *majoribus cordis vaſis communibus* e corde prodeuntibus, imo & in homine ob brevitatem thoracis *cor diaphragmati* quaſi alligantem. *Tunicarum cerebri*, quæ *meninges*, aut *matres* dicuntur, duæ ſunt, craſſior, denſior *dura mater*, vel *meninx* eſt, tenerior *pia mater*, tenera valde pellicula, & præ aliis ſenſibilis, hæc totum undique involvit cerebrum, & inter omnes ejus curvaturas, gyrosque ſe demittit, omnesque partes ejus comprehendit, unitqne inter ſe ad externam ſuperficiem, imo etiam deſcendit in corpus deorſum, medullæ, nervorumque ſocia; *dura* vero *mater* tenax, denſa membrana eſt, intus glabra, concavæ cranii ollæ, cujus formam & magnitudinem habet, ſubtenſa, cerebrumque concludit omne admodum pericardii, quod cor ambit, in vertice, vel per omnem longitudinem mediæ cranii ollæ, atque ſub ea duplicatur quaſi, & juxta longitudinem dividit cerebrum in portiones duas æquales, ſuoque ibi arcu deſcribit *falciformem*, quem vocant, *duræ matris proceſſum*, in poſticis autem ad latera quaſi quadruplicatur, & *cerebellum* a *cerebro* ſeparat, ceditque ſimul quatuor illis innexis ſibi majoribus *cerebri ſinibus*, tandem firmiter adhærens illis *cranii ſuturis*, quibus immergit ſe, ſed & aliquid ejus per eas penetrat, ad exteriorem cranii ſuperficiem, atque ubi evaſit, ulterius continuatur & producitur, galeæque ad modum externam calvariæ totius obducit ſuperficiem, ita conſtituit *pericranium*, quin & *cranii perioſteum*, nam, quæ conſpicitur extus tunica, circumtenſa fornici cranii, in duas facile ſeparabilis eſt laminas, quarum alteram oſſi pro-

proxime assidentem ejus *periosteum* vocant, alteram vero huic incumbentem *pericranium*, estque *periosteum* fibrosa, firma pellicula, valde tenera tamen, neque superextensa tantum, & arcte adnata cranio, sed & reliquis ossibus, dentibus, articulis capitis, excepta sola cranii superficie interna, concava, *pericranium* vero mollis, tenuis membrana est, quam aliqui, quoniam & cranium, & musculos ipsi assidentes, exemplo temporalium, obtegit, pro communi tunicarum muscularium omnium origine declarant, quemadmodum alii contendunt, illud *cranii periosteum* & *pericranium* originem dare periosteis omnibus, & musculorum tunicis propriis, quia certe, illud involucrum temporalium a pericranio profectum æque ac reliquæ musculorum tunicæ fibrosum est, ac tenue, ut omnes musculorum singulorum fasciculos, e quibus componuntur, quasi vero unam referrent massam, eandemque colligat, involvat, & adeo tamen scite ambiat, ut separati a se invicem demonstrari queant.

Jam vero ad *cutem* quod attinet, quæ totum corpus circumdat, & corticis instar cingit, hujus extensio maxima est, temperies perfectissima, ut pro exemplo reliquarum inserviat omnium, densa est, & mollis, ubique, nisi quoties ipsa jussit apertam esse, perviamque Natura, integra, innumeris plena poris, qui recrementis tertiæ coctionis patentes offerunt portas, in cutem hanc, æque ac in reliquas omnes prorepunt vasa plurima & arterioſa & venosa, & lymphatica, & alia, excurrunt etiam per eam fibrillæ nerveæ; digeruntur que in ejusdem superficie in *papillas. sensiles*, *tactiles* tam ut impertiantur hæ sensilitatem, cujus primaria sedes cutis est, quam ut inde vivat, nutriatur & incalescat superficies corporis extima omnis, nam sequitur cutis hæc cum membranis aliis temperaturam illam caloris, quam habent implantatæ, intextæque illi partes, quin & reliquas qualitates primas hinc induit, quare si comparantur inter se temperamenta membranarum harum, cognoscere inde quodammodo licet & temperiem corporis totius, & singularum ejus partium, quæ sequitur subjecti sui permixtionis variæ modum calorisque temperaturam.

Superenatam autem cuti huic observamus tenerrimam *cuticulam*, quam & *epidemidem* vocant, hæc ab igni ambusta elevatur facile, atque separatur, suspicantur eam e subtilissimo sanguinis rore ultra cutem effuso, densatoque coagulatam, secedit macerata in squamas, integra vasorum extrema obtegit, papillarumque tactilium fines, mediatum tactus instrumentum, cui tactus objecta immediate applicantur; sub cute denique vera est tertium commune corporis integumentum, fibrosa, tenuis, tenax tamen tunica, *panniculum* nominant *adiposum*, e laxiore cellulosa conflatum, per areas ellipticas plurimis in locis multa farctum *pinguedine* molli, vasorum fulcrum, pulvinarque molle, cujus materia & calorem corporis conservat, ac a frigore præmunit & famis tempore, aut, quando viæ primæ non elaborare possunt materiam nutritiam, nullamve recipiunt, liquata & in sanguinem resorpta nutritioni corporis inserviens, non autem eadem est ubique locorum pinguedinis hujus quantitas, densior autem est ipsa membrana in junioribus, ac in adultis, veræque cuti per vasa nectitur, imo etiam tenuissimis fibrillis peculiaris cellulosæ telæ substratæ musculorum communi tunicæ alligatur.

Hactenus de tunicis; transimus etiam ad *carnes*, numerantur earum quatuor species, referimus eo illam omnem densiorem substantiam, quam quælibet robusta etiam pars propriam habet, innominatam, materiam Physici vocant corporum constantem, Anatomici *parenchyma* in genere, urethræ, penis corpora cavernosa exemplo esse possunt, alia *caro* est *visceralis*, parenchyma viscerum, singularis indolis, & sanguinem quasi coagulatum referens, talem observamus in hepate, liene, renibus, pulmonibus, cerebro, videtur hæc substantia inter vasa viscerum horum projecta esse, densataque, & præcipuam voluminis eorundem partem constituere, cujus ope suas obeunt functiones. Alia *caro* est *glandulosa*, laxa, spongiosa, mollis, unguinosa, hæc a potiori, certe quoad glandulas conglobatas, vasorum divarications afsidet, ut partim vasa fulciat, partim superfluas humiditates imbibat, partim etiam quandoque partes humectet alias, liquore secreto & excreto exempla manifesta habemus in *glandula pituitaria*, *glandulis aurium*, *parotidibus*, *tonsillis*, *mammis*, *thyreoidea*, *thymo*, *glandulis occipitalibus*, *cervicalibus*, *bronchialibus*, *lienalibus*, *mesentericis*, & aliis. Denique *caro* proprie sic dicta *muscularis* est, massa homogenea, simplex, mollis, rubra, rarius in quibusdam partibus etiam sublutea, quæ circa primas veras musculorum fibras adnata est circumcirca e sanguine quodammodo densato & siccato musculorum parenchyma dicere posses, quia maxime observatur in musculis, præcipuam partem voluminis totius corporis efficientibus, nihil enim est in universo corpore, cujus fibræ non carne, muniente has ab externis injuriis, & efficacia naturalis caloris, omnia consumturi essent obtectæ. Musculi autem omnes, aggregata fibrarum plurium, carnem habent multam, quæ interstitia fibris interjecta explet, ipsisque fibris robur addit, plurimis præterea, vasis per-

texti ſunt muſculi, motus inſtrumenta, & excepta media eorundem parte, *venter* dicta, tam principium, vel *caput*, verſus quod, ubi agunt, retrahuntur, quam finis, *cauda*, *tendo*, quem verſus ſubactione relaxantur, adnata ſunt oſſibus, ut ea moveant.

Muſculi faciei, ejusque partis illius, quæ ſupra oculos eſt, & in fronte, adeo vicini ſunt cuti, extenſæ ſuper ipſos, & adeo arcte inſident oſſibus, ut Galenus eos pro uno tantum intueretur muſculo, quem *latum* nominavit, quodſi vero paulo accuratius inquiris, obſervas: quod propter varios miros motus, quos exerceri hic Natura voluit, in fronte duo ſint muſculi, *frontales* dicti, a ſummo fronte deſcendentes, ad latera *temporales* muſculos lambentes, tenues, ipſisque implantati ſuperioribus palpebris, hi ſuis fibris frontem purſum trahunt, &, quoniam hæc verſus medium per aſcendentem diviſa eſt naſum, frontis etiam cutem corrugant. *Palpebra ſuperior* aperitur, vel *attollitur*, *elevatur* per ſingularem muſculum, qui dicitur *elevator palpebræ ſuperioris proprius*, is in fundo ipſius *orbitæ oculi* oritur, & immergit ſe palpebræ prope cartilaginem, quam ſub integumentis tactus diſtinguit, *palpebræ tarſus* dictam, clauditur autem oculus per duos muſculos, vel, ſi mavis, unum, ſcilicet *orbicularem* qui juxta canthum ſive angulum oculi majorem, e ſuperiori oſſis maxillaris apophyſi proficiſcitur, ſupercilia verſus, deinde vero & infra ex eodem ortus loco, ſed paulo inferius, ſegmento etiam inferioris palpebræ inſidet, fibrisque orbicularibus palpebram utramque ſic ambit, ejus tarſis incumbens. Ipſe autem *oculi globus*, vel *bulbus* per ſex movetur muſculos, *rectos quatuor*, & *duos obliquos*, & *recti* quidem pronaſcuntur e fundo ipſius orbitæ ab apophyſi oſſis cuneiformis e baſi cranii huc pertingente, latoque fibroſo tendine ſcleroticæ ſuperficiei externæ accreſcunt, extenſo ad ipſam fere corneæ oram, *obliqui* autem *oculi muſculi*, ejus bulbum rotant, & in gyrum pro lubitu vertunt, eorum alter *obliquus major*, *ſuperior*, *trochlearis* audit, natus ex eodem orbitæ fundo, unde recti prodeunt, & excurrens ſupra majorem oculi canthum, ibi gracileſcens, ut per exſtructam ibi ſingularem cartilagineam duci trochleam poſſit, unde rurſus reflectitur, tandemque ſuperiori oculi parti circa medium inſeritur. *Obliquus* vero alter, qui *minor*, vel *inferior* dicitur, prodit ab eodem interno angulo, parteque orbitæ anteriore ac interiore, fere prope canalem naſalem ſuper illa crena, quam relinquit ſutura oſſis maxillaris ſuperioris propria cum oſſe unguis, ab origine hac emigrat externum oculi canthum verſus, & ſic transverſaliter inſidet inferiori fere bulbi parti omni.

Aures externæ accipiunt, aliquas lacinias muſculares a vicinis muſculis, quas pro lineamentis muſculorum agnoſcere tantum Galenus voluit, & levis eſt motus, quem hi auribus impertiuntur muſculi, non tamen nulla eſt actio *retrahentis*, pone aurem ſedentis, qui ampliorem illapſuro ſono portam aperit, deinde *attollentis* a fine muſculi frontalis ad aurem deſcendente nati, & *deprimentis*, vel *depreſſoris*, qui a ſupremo fine *latiſſimi colli*, *platysma myoides* aliis dicti aſcendit ad aurem.

Nares dilatant muſculi duo, *pyramidalis*, a fronte, naſique radice ortus carneo, acuminato principio, dein autem per omne naſi dorſum latior excurrens, tenuis, tandem ipſis inſertus *alis*, *pinnisve narium*, alter *dilatator narium* proprie ſic dictus eſt *myrtiformis*, prope inciſorium labii ſuperioris, cujus haud raro pars eſt, ortus, & partim naſi alæ, partim & ſuperiori labio implantatus, *conſtringunt* autem *nares* has, aut arctant bini muſculi, qui autem ob ſummam contiguitatem pro uno habentur, & *conſtrictoris orbicularis naſi*, vel *narium* nomine veniunt, is oritur ſupra dentes maxillæ ſuperioris inciſores, ipſi orbiculari labiorum conſtrictori commixtus, deſinitque in alas naſi.

Genæ reguntur per *quadratum* & *buccinatorem*, ille, qui alias etiam *depreſſoribus inferioris labii* adnumeratur, tenuis eſt, ad totam autem pertinet longitudinem inferioris labii, extenuato fine, ubi rubrum eſſe deſinit labium, margo autem ejus exterior fit a portione latiſſimi colli, qui ſub cute colli a *claviculis* latus valde oritur, fibrisque obliquis & mento & labiis applicatur, ac ſuperextenditur, quin etiam ad ima ipſius auriculæ aſcendit; ſed proprios etiam exercent *labia motus*, quibus octo ſerviunt muſculi, per paria dati, & *labium* quidem *ſuperius* agitur ſurſum, vel elevatur per *elevatorem proprium*, *Inciſorium ſuperiorem* dictum, qui principio cameo a gena mox ſub orbita oculi deſcendit juxta naſi alam, & orbiculari labiorum inſeritur ad inciſores dentes, deprimitur autem, vel detrahitur idem labium per *triangularem*, qui e parte laterali maxillæ inferioris, infimaque circa medium a mento aſcendit oblique, labiis inſertus, vel laterali orbicularis labiorum portioni applicatus, vocant alias *depreſſorem labiorum communem*, vel *depreſſorem anguli oris*; *Labium inferius* itidem *elevatur*, & *deprimitur*, illud quidem fit per *inciſorium inferiorem*, quem alii *elevatorem labri inferioris Covvperi proprium* nominant, oritur is infra inciſores maxillæ inferioris ſub gingivis, deſcenditque in cutem menti, ſed & ad utrumque labium pertinet *elevator* ille *communis*, *caninus*, qui ab orbita e cavea ſub oſſe jugali oritur in oſſe maxillari, anguloque labrorum inſeritur, *deprimitur* denique hoc *inferius labium* per

per *quadratum* ſupra memoratum, & *triangulares*, *communes depreſſores*, namque *quadratus* oritur ex omni mento, & maxillæ inferioris anteriore parte lato principio, & orbicularis inferiori ſe adplicat limbo. Præterea vero hi quoque muſculi fibris ſuis internis *corrugant labia*, externis autem *expandunt*, & tenſa *reflecti* quaſi faciunt.

Jam vero, quod ad ipſas attinet *maxillas*, earum quidem *ſuperior*, utpote immobilis, nullos habet muſculos, *inferior* autem multis modis movetur, decemque moderantur hos motus muſculi, per paria digeſti ad latera, ſurſum ſcilicet ea trahitur, *elevatur*, ut ſuperiori ſe applicet, osque claudat, per quatuor muſculos, binos *temporales*, aut *crotaphitas*, qui omnem concavum temporum diſcum rotundo explent ſuo tumore carneo, inde autem ſenſim gracileſcentes, & anguſtiores ſub oſſe jugali deſcendunt, denique tenaciter fibroſo tendine, qui ut maxillam dimoveat magis, carne cinctus eſt, maxillæ hujus inferioris proceſſui acuto, quem *coronoideum* vocant, adnaſcuntur, alterum par conſtituunt *pterygoidei externi*, *tertium pterygoidei* etiam *interni*, qui ambo, in ore latentes, craſſi, ſed breves temporalium actionem juvant, & ab alis vel proceſſibus pterygoideis oſſis ſphenoidei orti, (externi quidem ab eorum externa ſuperficie, interni ab interna concava,) finiuntur ad ſuperficiem anguli maxillæ interiorem & infimam, accedit his quartum par, quod efficiunt *maſſeteres*, præcipue manducationi ſervientes, quandoque duobus quaſi diſtincti membranaceis capitibus, quorum alterum ad latus magis oblique deſcendens in poſteriora ab inferiore ac eadem priore parte proceſſus extremi oſſis maxillaris ſuperioris, cui os innititur jugale, oritur, alterum ab omni margine inferiore, ac interiore parte jugi rectius deorſum excurrit, maxillamque cito attingit, deſinitque ad proceſſum coronoideum, quare, cum ſic alterum caput & interius multo ſitum ſit, alterum exterius, & utrumque ducatur in maxillam inferiorem mentum verſus, decuſſantibus ibi ſe utriusque fibris, poteſt etiam hic maſſeter manducationis cauſa, forſan & oſcitationis, dextrorſum hanc diſtrahere maxillam, & ſiniſtrorſum, quin & antrorſum, retrorſumque. Ut vero etiam *deprimatur maxilla* eadem, & aperiatur os, diducta hac a ſuperiore, dedit Natura muſculum ad utrumque latus in origine ſua, quam repetit ex inciſura ſub proceſſu oſſis temporum, *maſtoideo* ſeu *mammillari* dicto, terete tumore carneo conſpicuum, ſed medio in itinere *ſtyloideam* ejusdem oſſis apophyſin præteriturum, membranaceum; fibroſum, tendine tereti, qui vero mox in columnam iterum carneum intumeſcit, quare *maxillæ biventer*, vel *digaſtricus* audit, implantatur & adnaſcitur extremus ejus finis internæ menti ſuperficiei & ſynchondroſi.

Regitur vero etiam ſingularibus muſculis *os hyoides*, *ypſiloides*, *linguale*, maxime ut flectatur, cedat, atque tendatur, prout eſt neceſſe, imo vero his octo ſuis muſculis quaſi appenditur, unde per *ſyſſarcoſin* adhærere tantum Anatomici dicunt, aliud eorum par, quod *ſterno-hyoideorum* nomine a ſumma parte ſterni, vel & claviculis inſcendit, ejus baſi affigitur, aliud, quod *genio-hyoideos* vocant, e media interna excurrens menti parte brevibus ejus cornubus, vel baſi potius adnaſcitur, tertium, quod *coraco-hyoideos* nominant, juxta proceſſum ſcapulæ coracoideum e coſta ejusdem ſuperiore ortum finibus fibroſis carneis, baſi cornuque oſſis applicatur, quartum denique *ſtyloideis* prodiens ex apophyſibus, *ſtylo hyoideorum* nomine, baſi & cornibus longioribus oſſis innaſcitur. Ipſa *Lingua*, volubilis admodum lubricitatis, anguillæ ad inſtar, quaquaverſum moveri poteſt, quem in finem præter carnes, e quibus ipſa conſtat, quinque illi muſculorum paria Natura dedit, eorum aliud, quod ab extremo ſtyloideorum proceſſuum apice prodit, *ſtylo-gloſſos* vocant, movet eam ſurſum, oblique in radicem & latus demiſſum, aliud exit ſupra *genio-hyoideum* e mento, *genio-gloſſorum* nomine, unde deorſum lingua movetur, aliud procedit e mala, & ſi placet, hoc reſpectu ſuperiore maxilla, quod extrorſum eam protrahit, vocant *myloglosſos*, aliud e baſi oſſis hyoidis, tituio: *baſiogloſſorum* per medium linguæ verſus apicem emigrat, linguamque breviorem reddendo retrahit, aliud denique, ſcilicet *cerato-gloſſorum* e longis oſſis hyoidis cornubus profectum utrique lateri ejus, vel potius radici ſe adplicat, linguamque movet dextrorſum & ſiniſtrorſum.

Gula oeſophagus, vel potius ejus primum initium, faucibus inhærens, quod appellatur *Pharynx*, ut pro recipiendis & propellendis cibis, &, prout erat neceſſe, dilataretur, & conſtringeretur, arctaretur, accipit ex utroque latere muſculos a proceſſibus pterygoideis advenientes, vocant *pterygo-pharyngæos*, occupant hi anteriorem faucium regionem & cavitatem, aliud par, *cephalo-pharyngæum* dictum, provenit ex apophyſi oſſis occipitis anteriori, ubi caput inſidet *atlanti*, deſinitque in partem pharyngis poſteriorem, quare hoc faucium cavitati poſteriori, lateribusque oſſis hyoidis aſſidet, hique dilatant pharyngem, conſtringit unus, qui *conſtrictor gulæ*, *ſphincter oeſophagi* dicitur, is omnem ejus partem poſteriorem annuli ad modum ambit, & ab aliis ob originem triplicem ex oſſe hyoide, cartilagine thyreoi-

dea, & cricoidea in tres diviſus partes, tria etiam ab his originum nominibus accepit nomina.

Caput *tracheæ*, *aſperæ arteriæ*, illius tubi, per quem aërem intra nos ducimus, & reddimus inſpiratum, *larynx* dicitur, ſingulariter conſtructus ex *epiglottide*, *cartilaginibus thyreoidea*, *cricoidea*, binisque *arytænoideis*, formatur intra laryngem hunc præcipua *vocis* pars, *muſculos* habet larynx ſedecim, alios *communes* vocant, *proprios* alios, illi non ſoli aſſident laryngi, vel ab eo pronaſcuntur, aut ſoli adhærent laryngi, ſed & aliis partibus, unde communium nomen habent, proprii autem & quoad originem, & quoad inſertionem ad ſolum pertinent laryngem, communium tria ſunt paria, eorum aliud a ſterno per latera tracheæ ad thyreoideam cartilaginem aſcendens *ſterno-thyreoideorum* nomine deorſum laryngem trahit, ſicque ſimul, dum antrorſum protrahit, eo ipſo *glottidem*, ejusve rimam dilatat, contrariam vero directionem laryngi præſtat, & eum *elevat*, attollit aliud par, *Hyo-thyreoideorum*, quod e lateribus hyoidis oſſis enatum ſummo laryngis limbo, vel thyreoideæ margini potius implantatur, id ergo, dum ſuo tumore ſupremum laryngis quodammodo comprimit, glottidis rimam aliquatenus arctat.

Accedit aliud par de pharynge prodiens vicino, limboque thyreoideæ ſuperiori omni adnaſcens circumcirca, *pharyngo-thyreoideos* vocant, hi laryngem omnem conſtringunt. *Propriorum* quinque ſunt paria, muſculi valde minuti & ſubtiles, hi omnes a cartilaginibus laryngis oriuntur, & iisdem inſeruntur etiam, ſunt *crico-thyreoidei*, qui a cricoidea cartilagine aſcendunt ad thyreoideam, huicque affiguntur, poſſunt hi & dilatare laryngem & conſtringere, deinde ſunt *thyro-arytænoidei*, qui ab antica thyreoideæ ſuperficie ad arytænoideas excurrunt, hi conſtringere magis videntur ipſam glottidis rimam, habemus porro *crico-arytænoideos poſticos*, & *laterales*, qui a parte poſtica & lateribus cricoideæ oriuntur, & arytænoideis applicant ſe, rimamque glottidis ampliare magis videntur, denique obſervamus alios ab una cartilagine arytænoide proficiſcentes ad alteram, illique inſertos, ſicque ſe invicem interſecantes quaſi, vocant *ary-arytænoideos*, hi adeoque cartilaginem arytænoideam alteram admovere alteri propius poſſunt, eoque fit, ut ſtringatur glottis & arctetur plurimum.

Totum *caput* muſculis regitur quatuordecim, imo vero pluribus, per paria poſitis a potiori, & quidem antrorſum illud *flectunt* inſignes maxime illi *maſtoidei*, quos alii ſub titulo *ſterno-* & *cleidomaſtoideorum* habent, plenam expreſſuri eorum etiam originem, oriuntur ſcilicet a ſterno & clavicula, unde aliqui ſeparant in duos, eam partem, quæ a ſterno proficiſcitur, ſternomaſtoideos vocando, alteram, quæ a claviculis aſcendit, cleidomaſtoideos, finitur autem uterque retro aurem, & inſeritur externæ faciei proceſſus maſtoidei, ſive mammillaris, *flectitur* vero etiam caput a *Recto majore antico*, qui oritur ab apophyſibus transverſis quinque inferiorum colli vertebrarum, oſſique occipitis adnaſcitur ante proceſſum ejus condyloideum, denique *flexionem* juvat *Rectus minor anticus*, *annuens Covvperi*, qui natus ab anteriore facie vertebræ primæ, ſive atlantis latet ſub præcedente, oſſique occipitis pone illum inſeritur. Sed *extenditur* etiam & obrigeſcit caput a quinque peculiaribus muſculis, eo pertinent *ſplenii*, qui a vertebris colli tribus inferioribus, & apophyſibus maxime ſpinoſis quinque dorſi ſuperiorum orti ſupra maſtoideum proceſſum capiti accreſcunt, deinde huc referuntur: *complexi*, qui aſcendunt ex apophyſibus transverſis trium vertebrarum dorſi ſuperiorum, ſexque inferiorum colli, ſubjacentes prioribus, & implantati oſſi occipitis juxta præcedentes, porro ſunt: *Recti majores poſtici*, quibus originem dat *epiſtrophæi*, vel ſecundæ colli vertebræ apophyſis ſpinoſa, finem excipit os occipitis; accedunt ſub his inſerti *recti minores poſtici*, qui e parte atlantis poſteriore prodeunt; denique *obliquus minor*, qui ſupra majorem poſticum rectum terminatur, triangulum quaſi æquilaterum format, & ex atlantis apophyſi transverſa oritur. In gyrum etiam vertitur & *rotatur caput* a ſingulari muſculo, qui eſt *obliquus major*, is ab apophyſi ſpinoſa epiſtrophæi oblique aſcendit ad transverſam atlantis apophyſin, illique inſeritur.

Ad latus denique *flectit Rectus lateralis*, qui a ſuperiore apophyſis transverſæ atlantis facie pronatus aſcendit recta, corpore brevi, ſed craſſo, & implantatur partim occipitis oſſi, partim oſſi temporum juxta incile maſtoidei proceſſus, efficacius autem ad latus trahitur caput a cleidomaſtoideis, ſi eorum alteruter tantum agat. *Collum*, vel *cervix* itidem ſingulares ſuos motus, & ſervientes his muſculos habet octo & plures, ſunt hi ſub capite, *flectuntque collum longiſſimi* duo, qui orti a corporibus quinque ſuperiorum dorſi vertebrarum colli vertebris omnibus accreſcunt, & primæ quidem acuto a potiori tendine, deinde flectunt etiam illi trigoni, *ſcaleni*, qui anterius e prima, ſecunda, & quandoque tertia etiam aſcendunt coſta, transverſisque colli vertebris adnaſcuntur, *extendunt* vero collum & rigidum reddunt, *transverſales*, partes longiſſimi dorſi ſupremæ, oriuntur ex apophyſibus dorſi transverſis, & adnaſcuntur vertebris colli,

li, juvant hos *interſpinales colli*, quorum quinque numero paria ſunt, ſedem habent inter ſpinoſas apophyſes, prodeuntque a parte ſuperiore ſpinoſæ apophyſis quinque colli vertebrarum inferiorum, & ſinguli dein inſeruntur in partem inferiorem ſpinoſæ apophyſis vertebræ proximæ ſuperioris, denique *ad latus* magis *flectunt intertransverſales*, transverſas inter apophyſes projecti, qui ſemper oriuntur ex inferiore vertebra, & ſuperiori vicinæ inſeruntur, habent hi ſocios exiguos valde alios, *intervertebrales Douglaſii*, qui e laterali vertebræ corporis parte procedunt, & oblique hinc aſcendunt ad poſteriorem vicinæ ſuperioris partem.

Jam vero ad *ſcapulam*, habet hæc quatuor ex utroque latere muſculos, ut binæ ſunt ſcapulæ, omnium præcipue notabilis eſt *Trapezius*, vel *cucullaris*, a quo diverſis ſcapula movetur modis ob originem diverſam, variamque fibrarum directionem, adnatus is obſervatur omni oſſi occipitis, apophyſibus colli ſpinoſis omnibus, quin etiam ſimilibus dorſi vertebrarum tantum non omnium ſpinis, poteſt propterea modo *attollere ſcapulam*, modo *deprimere*, modo & *movere retrorſum*; dein eſt *elevator ſcapulæ* proprie ſic dictus, vel *muſculus patientiæ*, qui oritur a transverſis apophyſibus trium, quatuorve ſupremarum colli vertebrarum, & accreſcit omni ſcapulæ ſuperiori angulo; tertio eſt *ſerratus*, ſive *dentatus minor*, *anticus*, aut *pectoralis minor*, proxime ſub majore pectorali ortus, principiis dentatis e lateribus coſtarum verarum, ſecundæ, tertiæ, quartæque, aſcendens oblique ſcapulam verſus, & inſertus coracoideo ſcapulæ proceſſui, hic ſcapulam, dum agit, *protrahit* aliquantum, & a fornice thoracis dimovet, denique *rhomboideus* a figura ſic dictus, quadrangularis, qui *ſcapulam retrorſum ducit* aliquantum & ſimul leniter *ſurſum*, oritur enim a ſpinoſis apophyſibus quinque inferiorum colli vertebrarum, triumque ſuperiorum dorſi, & implantatur toti ſcapulæ baſi, addunt his alii *ſerratum*, ſive *dentatum majorem anticum*, qui a multis ad elevatores coſtarum refertur, oritur is dentatis ad exemplum ſerrati minoris antici principiis, ab inferioribus ſex veris coſtis, & una, interdum duabus ſuperioribus ſpuriis, oblique aſcendit, deſinitque in baſi ſcapulæ, hanc ergo pariter *movere* poteſt *ſcapulam*, & maxime *antrorſum*, *deorſumque*.

Multis autem pariter modis moveri etiam *brachium poteſt*, & ſi omnes ejus muſculi agant ſimul, in gyrum quoque verti & *rotari* ſenſim & ſenſim, *elevant* autem in ſpecie tres: *Deltoideus*, ventricoſus ille, *ſupra ſpinatus*, & *coracobrachialis*, *deltoideus* enim oritur a media clavicula, ſcapulæ acromio, ſpinaque omni, fortique tendine inſeritur medio circiter brachii, vel ad latitudinem quatuor digitorum ſub humeri collo; *ſupraſpinatus* prodit e cavitate ſupra ſcapulæ ſpinam, ſummoque humeri collo inſeritur.

Coraco-brachialis tandem enaſcitur e coracoideo ſcapulæ proceſſu, & mediæ brachii parti tum implantatur. Trahitur vero etiam deorſum, vel *deprimitur* brachium per ſingulares potentias muſculares, eo faciunt *Latiſſimus dorſi*, qui ex uſu *Aniſcalptor* etiam dicitur, latiſſimam is originem habet, ex omni ſcilicet parte poſteriore ilei ſpinæ, oſſisque ſacri ſuperioribus ſpinis, deinde apophyſibus ſpinoſis omnibus lumborum, & dorſi ſeptem vel octo inferiorum vertebrarum, tandem vero forti & inflexo tendine, juncto cum tendine illius, quem proxime deſcribemus, muſculi, capiti humeri, vel, ut rectius rem exprimam, trium digitorum diſtantia infra caput hoc inſeritur humero; depreſſor alter eſt *rotundus*, vel *teres major*, qui ſub ala ex inferiore ſcapulæ angulo educitur, humerique collo ſuo tendine inſeritur. Juvat hos *infraſcapularis*, qui ex omni ſcapulæ ſuperficie interna pronaſcitur, interiorique capitis humeri parti ſe affigit. Antrorſum vel ad pectus trahitur, aut *adducitur* brachium a *Pectorali majore*, muſculo pentagono & quaſi multiplici, qui oritur e clavicula, ſterno, coſtisque veris omnibus, quin & quandoque prima ſimul ſpuria, & implantatur tendine lato, fortique ſummo humeri oſſis ad imum colli; retrorſum agitur, vel *abducitur* brachium per duos muſculos, *infraſpinatum*, qui oritur e cavitate infra ſpinam ſcapulæ carnoſus, & adnaſcitur perioſteo ſcapulæ ad partem ejus poſteriorem, cum proximo muſculo ſuo tendine commixtus, & per *rotundum*, ſive *teretem minorem*, qui cavitatem coſtæ inferioris ſcapulæ, unde oritur, penitus explet, & ligamento ſcapulæ in eadem, qua prior, regione adnaſcitur, itaque *novem* ſingula *brachia muſculos* habent.

Cubitum, vel *ulnam* ſex moderantur muſculi, *duo flexores*: *Biceps*, & *Brachialis internus*, ille quidem e ſuis teredineis principiis, & ſingulari quaſi capite latiori e proceſſu coracoideo profecto, & capite altero, carneo magis, terete, longoque, ſed anguſtiore in unum demum confluit muſculum, & prout illud carneum caput e parte ſcapulæ acetabuli ſuperiore prodit, ſic idem in ſulco humeri ſub articuli ligamento deſcendit, magisque fit carneum accedente altero prorſus confluente utroque capite, pergit dein juxta deltoidis inſertionem, in anteriori brachii parte, deſinitque tendine partim terete in ipſo ſupremo radii tuberculo, mox infra ejusdem ſuperius capitu-

lum, partim carne denſa in latum tandem extenuata tendinem, qui tunicæ communis ad inſtar muſculos in cubito ſitos omnes ambit, is tendo arcte ibi circumtenſus quaſi frequenter in venæſectione læditur, & gravia læſus poſt ſe ſymptomata trahit, *brachialis internus* mox infra deltoidis finem enaſcitur, & adnaſcitur dein cubiti, ulnæve tuberculo, mox infra ejusdem ſuperius capitulum. Extendunt cubitum quatuor muſculi, quorum quidem tres licet origine diſtincti, haud longe ab origine confluunt in unum, quare aliquibus viſum fuit, rectius hos pro uno habere muſculo, *tricipitis brachialis* nomine, ſunt autem *Longus*, qui oritur ab inferiore ſcapulæ coſtæ, *Brevis*, qui e ſpina humeri externa enaſcitur, & denſiſſimus omnium: *Brachialis externus*, qui juxta præcedentem e ſpina interiore humeri oritur; tendo muſculorum horum, aut hujus tricipitis implantatur olecrani parti poſteriori; accedit his quartus *extenſor*, *anconæus*, muſculus parvus, qui ab exteriore humeri condylo pronaſcitur, & olecrano eodem accreſcit loco, quo priores.

Verum & *Radius* peculiares habet muſculos, a quibus dum movetur, *manus* ipſa maxime varios motus experitur, ſubitque, nimirum, quando nobis repræſentamus manum in ſitu commodiſſimo applicatam ita tabulæ, ut vola ſuperficiem tabulæ lambat, illique undique admota ſit interna manus facies, poſſumus eam ſubito invertere ſic, ut nunc ejus dorſum tabulæ ſuperficiei admotum ſit totum, & oculo immediate volæ cavum obvertatur, vocant hanc inverſionem *ſupinationem*, & *manum* ita inverſam *ſupinatam*; ſed poſſumus etiam contra manum ita ſupinatam reducere ſubito in ſtatum priorem, ut vola tabulæ reſpondeat, dicimus hanc reductionem *pronationem manus*, eamque tum in ſtatu pronationis conſtitutam, adeoque in manum totam redundat omnis effectus horum radii muſculorum, hæc tota movetur ſimul, quoties hi agunt, & mirabile prorſus artificium eſt, quo Natura hoc radii oſſe utitur, cujus ope pro lubitu convertere manum poſſumus, & certe, quoties convertitur, aut rotatur radius ſuos per muſculos, fit hæc aut ſupinatio manus, aut pronatio, & *ſupinatores* quidem ſunt *muſculi*, *Longus* & *Brevis*, ille ab imo exterioris humeri ſpinæ ortus inſeritur inferiori radii capitulo, brevis autem enaſcitur, exigua quidem portione ab externo brachii condylo, maxima vero parte a facie ulnæ ſuperiore ac exteriore, implantatur in radii partem ſuperiorem & mediam, in quam totus quaſi projectus eſſe videtur muſculus, hi ergo bini muſculi quaſi flectunt hanc totam extremam manum, cum *pronatores*, qui nunc ſequuntur, eandem extendant magis, ſunt autem pronatores *rotundus*, & *quadratus*, quorum alter carneus & membranaceus ab interno humeri condylo emiſſus parti radii fere mediæ inſeritur, alter vero quadratus ex inferiore ulnæ parte ortus accreſcit plagæ origini e directo oppoſitæ, ſcilicet oblique ad inferiorem radii partem. Eſt vero & ipſe *Carpus* tam *flexilis*, quam extenſilis, illa manus pars, ad quam pulſum tangunt Medici, & flectunt quidem tres muſculi, qui ſedent ad radium & ulnam, eſt *Radiæus internus*, qui juxta radium pollicem verſus excurrit, & ſub ejus abductore ibi tranſit, tandem vero capitulo ſuperiori oſſis metatarſi, quod indici digito reſpondet, implantatur, alter *ulnaris internus* implantatur faciei oſſiculi carpi quarti, ordinis primi, accedit his *Palmaris longus*, qui tendine lato, & ad finem in fimbrias quaſi laciniatas expanſo ipſi manus palmæ ita innaſcitur, ut eam etiam conſtringere quodammodo videatur; *Extenſores carpi* ſunt itidem tres, omnes orti ab externo humeri condylo, ejusque parte inferiore, præcipui ſunt: *Radiæus externus*, *Longus* & *Brevis*, alias *Bicornis* etiam dictus, eorum alter inſeritur oſſis metacarpi primi parti exteriori, alter vero longior tendinem ſuum affigit parti exteriori & priori radicis capitis ſuperioris oſſis metacarpi, cum quo index commiſſus eſt, uterque carpum extrorſum ſimul oblique in priora flectit, brevior autem in exteriora magis, ac longior, in priora minus, longior flectit etiam cubitum, præſertim, ſi non ſit, quantum poteſt, extenſus, utrumque, ſuum ſi principium verſus trahas, manus cum, quantum poteſt, ſupina eſt, modice in pronam vertitur, cum prona, in ſupinam. Tertius extenſorum eſt: *ulnaris*, vel *cubitalis externus*, hic ſub carpi ligamento armillari exteriore ad ſuperiorem finitur eminentiæ partem, quæ ad poſticam eſt capitis ſuperioris oſſis metacarpi quarti faciem; carpum in poſteriora ſimul, & aliquantum in exteriora flectit, in eamque propterea partem attollit manum, etiam e ſupina cogit aliquantum in pronam, e prona in ſupinam, id quod evidenter apparet, cum ad ſuum principium recte muſculum hunc attrahimus.

Jam vero ad ipſos *manus digitos*, quorum ante muſculos quam recenſeam, opus erit monere, omnia ea, quæ de *muſculis digitorum manus communibus* dicuntur, pertinere ad ſolos illos quatuor a pollice, qui ſuccenturiatæ quaſi manus vices agit, ſuosque proprios ideo muſculos habet, quibus nullum intercedit commercium cum illis digitorum reliquorum; dictum jam ſupra fuit de *palmari longo*, ejusque aponevroſi expanſa in palmam, is conſtringere aliquantum, & introrſum flectere ſimul digitos omnes poteſt, maxime autem *flectit phalangam* a metacarpi oſſibus primam. *Profundus*, ſive

ſive *perforans*, qui carneus a ſuperiore, mediaque ulnæ parte oritur, poſtea vero circa carpi armillare ligamentum tendineſcit, ſub eo tranſit, tum vero ſuum tendinem in quatuor funiculos findit, quorum ſinguli, trajecti per fiſſos tendines ſequentis, initio phalangæ a metacarpi oſſibus primæ adnaſcuntur, deinde autem *phalanga media*, ſive a metacarpi oſſibus ſecunda habet *muſculum* alium, qui *ſublimis*, vel *perforatus* audit, hic ab interno humeri condylo radioque proficiſcitur, paulo ante ligamentum carpi armillare pariter tendine ſuo in quatuor dirimitur partes, quæ implantantur ſingulis mediis digitorum internodiis, ut vero locum faciant prioris tendinibus, longe ante ipſas phalangas finduntur, illosque tendines transmittunt.

Extremam denique *phalangam*, quæ *prima* dicitur aliis, *flectunt* minuti valde muſculi, a figura *lumbricales* appellati, carnei hi, & unico plerumque principio ab ipſis profundi, ſeu perforantis tendinibus oriuntur, iisque aſſident, implantantur dein lateribus phalangæ primæ, vel extimæ, pollicem reſpicientibus, & quidem in omnibus illis quatuor digitis ita ſe res habet. *Extenſorem* autem habent phalangæ omnes unum eundemque, qui *Extenſoris communis* nomine venit, oriturque ab externo humeri condylo, & parte poſteriore radii, ulnæque, finditur & hic in quatuor tendines, qui ſub annulari & transverſo carpi ligamento in dorſo manus tranſeuntes affiguntur faciei poſteriori, vel gibbæ omnium trium phalangarum; *juvant* autem *extenſionem* hanc *interoſſei externi* & *interni*, ſi enim trahas eos, excepto priore indicis, ad principium ſuum, extendunt manifeſto mediæ phalangæ os, & primum a metacarpo, & *internorum* quidem ſunt quatuor, index *priorem* habet, ac *poſteriorem*, *annularis* & *auricularis* digiti priorem tantum habent, deſcendunt omnes ab oſſibus metacarpi, & oriuntur a parte plus quam dimidia ſuperiore longitudinis eorum, mox a radicibus capitum ſuperiorum, adnaſcuntur, ille quidem indicis prior interno ejus lateri, reliqui externis digitorum lateribus, *externorum interoſſeorum* tres numerantur, *medius* quippe *digitus duos* habet, *priorem* & *poſteriorem*, *annularis poſteriorem* ſolum, prior ille medii biceps eſt, altero capite ortus a longitudine plus quam dimidia ſuperiore amplitudinis prioris metacarpi medii, altero ab exteriore margine illius lateris metacarpi oſſis primi, quo ſpectat ſecundum, a radice capitis ejusdem ſuperioris fere uſque ad inferius, *poſterior medii* craſſiore capite oritur ab eadem parte ſuperiore lateris ejus oſſis ejusdem ſecundi metacarpi, quo tertium reſpicit, tenuiore, ab exteriore parte amplitudinis oſſis metacarpi tertii, obverſæ ſecundo; *poſterior annularis* eadem ratione capite craſſiore ab illo metacarpi oſſis tertii latere, quod ſpectat quartum, oritur tenuiore ab exteriore parte illius quarti, quod tertium ſpectat, tendines, mixti lumbricalium tendinibus adnaſcuntur lateribus phalangarum tantum non omnium, quæ latera tenent ipſi muſculi; poſſunt vero etiam utriusque generis interoſſei ſinguli ſuum flectere digitum, priores in priora pollicem verſus, poſteriores in poſteriora, & modice ſimul interiora, in oppoſitum ſibi latus aliquantum ſimul convertentes internam ejus partem, digitum etiam in volam flexum, in eandem flectunt magis, ſed oblique in ſuum latus, ita varios præſtant effectus pro diverſo aliarum partium concurſu, variaque relatione, uti res ipſa evidenter loquitur.

Pollex quinque muſculos habet, & *Flexor* quidem *longus* dictus a media vel ſuperiore radii parte oritur, ſuoque tendine phalangi adnaſcitur extremæ, additus huic eſt *brevis*, qui oritur a carpi oſſibus, & capitibus vicinis oſſium metacarpi, vel potius e ligamentis, quibus oſſium carpi ordo ſecundus metacarpo contiguus ex interiore parte colligatus eſt, finitur ad os pollicis primum, & quandoque ſecundum ſimul, *extenditur* per *Extenſorem* proprium, qui alias etiam *bicornis*, vel *tricornis* audit, qui pronaſcitur e parte poſteriore, mediaque ulnæ ac radii, & duobus, vel tribus deſinit tendinibus in ſingulas tres pollicis phalangas, *adductores pollex* habet, qui ſcilicet ad proximum digitum adducunt, & pollicem ad mediam volam, muſculos proxime ſibi adjectos tres, qui ſunt in monte veneris, quem chiromanthæ vocant, molli ſub pollice ſubgloboſo pulvinari, ſed cohærent ibi & adductores & abductores, & unicus proprie *adductor* eſt *Hypothenar*, aliis *meſothenar* dictus, qui oritur a media interna oſſis metacarpi digiti medii amplitudine, mox ſupra caput ejus inferius, finiturque in parte capitis ſuperioris ejus oſſis primi ea, quæ ſpectat indicem, *abductores* duo ſunt, *abductor brevis pollicis*, *Thenar* dictus, qui a radice volæ, ubi ea ſupra pollicem eſt, oritur e ligamento interiore carpi, & utplurimum etiam ab interiore parte oſſis multanguli majoris, finitur ad caput ſuperius primi oſſis pollicis, ejusque partem priorem & internam, dein & ad dorſum pollicis tendit.

Alter dicitur: *Opponens pollicis manus*, vel *Antithenar*, qui oritur infra brevem abductorem ab iisdem plagis, & tendine ſuo toto deſinit ad marginem totum priorem internæ amplitudinis metacarpi pollicis, maxime vero huc pertinet tertio *Abductor longus pollicis manus*, qui ab ulna, radioque procedit, & ligamento ulnam inter radiumque intermedio, multam vero tendinis partem abductori brevi pollicis

addit, denique autem ſuum tendinem demittit per ſinum priorem capitis inferioris radii, ſub ligamento coërcente, ubi membranis obſequioſis laxe adnaſcitur, maxime autem ultimo ſe applicat tuberculo, quod eſt in priore, internaque parte ſuperioris capitis metacarpi pollicis, ſupra marginem ejus internum. Habent vero præterea & reliqui digiti quosdam peculiares muſculos, ita *index* habet *extenſorem*, qui & *Indicator* dicitur, cui media ulna originem dat, finis eſt communis cum extenſore communi, deinde habet etiam *adductorem*, qui oritur a prima pollicis phalanga, & primo metacarpi oſſe, definitque ad latus externum phalangæ indicis primæ, vel extremæ, tertio *abductorem* quoque nactus eſt, proprium, qui eſt interoſſeus internus primus, ortus ab oſſe metacarpi ſuſtentante indicem, & ad externum indicis latus terminatus.

Medius digitus adductoris loco utitur interoſſeo externo primo, & pro *abductore* interoſſeo externo ſecundo, ita etiam *annularis digitus adducitur* ab interoſſeo interno, vicino interno ejus lateri, *abducitur* ab interoſſeo *externo*, qui ejus lateri externo proximus eſt, verum plurimum etiam tumet muſculis plaga manus omnis, quæ ſub *digito* eſt *auriculari*, per omnem longitudinem volæ lateralem, vocant eum tumorem Chiromanthæ *mercurii montem*, habet ſcilicet *auricularis tres* proprios *muſculos*, eſt *Adductor*, natus e ligamento carpi transverſo, acutoque proceſſu interioris oſſiculi carpi, & inſertus concavæ interiori parti toti oſſis metacarpi digiti auricularis, quod os proprie adducit, ſed adducere hoc non poteſt, quin ſimul auricularem adducat digitum, dein eſt *Abductor*, qui oritur ab oſſe interiore metacarpi & carpi, & inſeritur interno phalangæ primæ lateri, eſt vero etiam auriculari digito *Extenſor proprius*, qui quidem videtur pars Extenſoris communis eſſe, certe cum eo & origine convenit, & inſertione tantum non in totum.

Thorax itidem ſuos habet *muſculos*, quibus ejus fornix, dum inſpiramus aërem, *elevatur*, levatur, dilatatur, attollitur, & alios, quibus idem fornix, ubi aër cum vaporibus, aut perſpirabili pulmonico exſpiratur, *deprimitur*, *conſtringitur*, arctatur, veniunt aliis omnes nomine *muſculorum reſpirationis*, itaque thorax *elevatur* per *ſubclavium*, qui ab interna extrema claviculæ parte proficiſcitur juxta ſcapulæ acromium, & oblique implantatur in partem coſtæ ſuperioris, vel primæ anteriorem, quin & proximam ſterni; deinde huc pertinent: *ſerrati antici majores*, qui a ſcapula plantantur & projiciuntur in ſex coſtas veras ſuperiores, retulimus quidem hos in prioribus ad muſculos ſcapulæ, ad quam etiam vere pertinent, quodſi vero hæc ſuos per elevatores immobilis & fixa detinetur, poterunt certe hi ſcapulam verſus intumeſcentes & agentes notabilem thoracici fornicis aream elevare, ad minimum in reſpiratione difficili multum ſubvenire reliquis; aſſidet ſerratis his muſculus alius elevator, *portio muſculi abdominalis oblique deſcendentis*, vel *externi*, ſuperioribus adnatus coſtis; accedit ex utroque latere; *ſerratus poſticus ſuperior*, qui tenui, latoque tendine a vertebris colli duabus inferioribus, dorſique ſuperioribus duabus oritur, terminatus ad coſtam ſecundam, tertiam, quartamque. Juvant hos *Levatores coſtarum* dicti, quos *ſupercoſtales* Verheyenus nominat, *breves* nimirum, utrinque duodecim, quibus origo eſt a transverſis undecim dorſi vertebrarum proceſſibus, & unius inferioris videlicet colli, finis autem obliquus in partem coſtarum poſteriorem, deinde *levatores longi*, *tres*, vel *quatuor*, qui eandem agnoſcunt originem, a vertebra ſcilicet dorſi ſeptima, octava, nona & decima, finem autem habent in coſta nona, decima, undecima & duodecima, pertinet etiam ad elevatores thoracis colli flexor ille *ſcalenus*, uti vel e ſola ejus origine patet ac inſertione.

Maxime autem ad hanc faciunt dilatationem *intercoſtales muſculi*, & quidem, ut exiſtimant aliqui, præ internis *externi*, ſunt utriusque generis intercoſtalium *undecim* in utroque latere, adeoque in univerſum *quadraginta duo*, vocant *externos*, qui ſunt extus proxime ſub integumentis, *internos*, qui ſub his projecti proxime ſub pleura ſunt, utriusque ordinis caro interjecta eſt ſingulis illis ſpatiis, quæ ſingulas intercedunt coſtas, & externorum fibræ videntur deſcendere antrorſum, internorum oblique retrorſum aſcendere, vel rectius potius deſcendere, ſicque ordo uterque fibris interſecare ſe ſuis & decuſſare, diverſæ originis eſſe, ac inſertionis, & externi quidem videntur a margine inferiore ac exteriore ſingularum coſtarum ſuperiorum proficiſci, & inſeri tendineis ſuis finibus coſtarum ſequentium & ſterni cartilaginum ſuperiori & exteriori margini, contrario modo ſe habere interni, ut margini etiam coſtarum interiori adnaſcantur, proprie, quantum e ſitu judicare licet, ordo uterque coſtas ad ſe invicem adducit, pleuramque firmat, quodſi autem nobis repræſentamus coſtarum arcuatam exaſciationem, ſi reflexioni huic addimus; coſtam primam eſſe immobilem, vix videtur poſſibile, ut ad inferiores adducantur ſuperiores, imo vero, neque videtur ſumma utriusque ordinis vicinia & contiguitas, fibrarumque implicatio admittere diverſam alterutrius ordinis actionem, vis vero interim elevandi ex unione utriusque ordinis reſultare fortior.

Non

Non autem efficacius ampliatur thorax, ac ab illa pelle muſculoſa, quam *Diaphragma*, vel *ſeptum transverſum* vocant, id, mirus forma muſculus, magna ſui parte intergerinus eſt thoracem inter & abdomen; octo capitibus is oritur, quorum quatuor in dextra ſunt parte, totidemque iis reſpondentia in ſiniſtra, duo media longiſſima, & maxima, ſed a lateribus horum ſecunda ſunt, multo exiliora, ceterum longa ſatis, poſt hæc ab utraque parte his aſſident quarta, utraque anguſta, brevia, tenuia, ultima tamen tenuiſſima, & media longiſſime veniunt ab imis, poſt hæc ſecunda, reliqua e ſuperiore fere lumborum parte, medium ſiniſtrum dextro minus eſt, hoc autem aſcendit e quarta, ſi non ultima lumborum vertebra, ſiniſtrum a quarta, reliqua capita & a primis lumbaribus vertebris, & ultima dorſi oriuntur, omnia vero adſcendunt, & ſenſim craſſeſcunt, maxime media, quæ, diu disjuncta, coëunt poſtea lunato ductu, mediumque inter ſe relinquunt intervallum, quo tanquam porta exit arteria magna, intrant autem thoracici ductus radices; a conjunctione capitum omnium in latum emigrat diaphragma, & in cratem thoracis, ſimulque ſe curvat, & in utrumque latus & in priora internum thoracis ad ambitum, ad quem ſe poſtea curvo pergente ductu demittit, pergitque ſecundum eundem, donec in ejus imo deſinat, ampliſſimum itaque, ab inferiore parte concavum eſt, gibbum a ſuperiore, amplior tamen dextra pars, & magis acta ſurſum in thoracem, ac ſiniſtra, ubi thoracis ambitum fere lambit, abit in extrema tria, quorum duo lateralia ſunt, eaque ampliſſima, medium tertium, quod multo eſt anguſtius, & a quo lateralia divergunt, hoc rotundo per latera demittit ſe ambitu ad interiorem extremæ cartilaginis mucronatæ partem, eique fine adnaſcitur ſubrotundo, fiſſoque in partes aliquot; lateralia inſerta ſunt interiori parti coſtarum ſeptimarum, octavarum, nonarum, decimarum, undecimarum, qua illæ thoracis marginem faciunt, extremis diſtinctis, latis, plerumque carneis, tendineisve, aliquando fiſſis aliquoties, & occurrentibus Transverſorum abdominis principiis, eisque ſe aliquando pectinatim interſerentibus, ſæpe continuantibus etiam ex parte, quin & ſæpe in intervallis a nona uſque ad duodecimam tendineo fine continuant ſe ſimili eorundem Transverſorum initio. Quod vero Diaphragmatis abdominis, thoracisque cavum intercedit, totum prope tendineum eſt, tendine per ambitum elliptico fere in lateribus, ante in obtuſum exeunte mucronem, inde in poſteriora latiore ſenſim, ad poſtrema inſigniter lunato, & in univerſum quidem concavo ab inferiore parte, ſed in duo præſertim a lateribus cava diſtincto magna, oblonga, dextro ampliore, planiore in medio, & modice gibbo etiam per transverſum, a dextra declivi aliquantum ad ſiniſtram, eſt hic tendo *diaphragmatis centrum tendineum*, ut alii vocant, omnis autem, quæ circa id aſſidet, caro tenuis eſt in totum, non tamen ejusdem ubique tenuitatis; fibrarum carnearum directio varia eſt, poſtquam capita confluxere, nata ex iis caro adſcendit, & ſe in priora curvat ad poſticum lunatum tendinis ambitum, fibræ mediæ in univerſum aſcendunt rectius, hinc autem a latere utroque ſequentes aſcendunt etiam, ſed ſimul, ut a mediis diſtant magis, plus ad latera declinant, reliquæ vario modo ſe nunc ad ambitum thoracis curvant, & ab eo deſcendunt ad ejus imum, aliæ rectius, obliquius aliæ, nunc & a capitibus, & a coſtis, & *enſiformi cartilagine*, omnique ambitu, cui adhæret, radiata quaſi forma viſa eſt petere tendinis ambitum; tendinearum fibrarum decurſus multo magis eſt implicatus & intricatus, id tamen ex omni hac, utcunque brevi diaphragmatis hiſtoria patet, non firmare modo illud partes peritonæi pleurarum, pericardii adjacentes, & cum iis abdomen a thorace diſtinguere, conſtringere ſtomachum mox ſupra ventriculum, peritonæum premere, deorſumque agere, ſicque conſtringere ab hac parte abdomen poſſe, ad analogiam muſculorum abdominalium, eodem effectu, agendo eos extrorſum, deprimendo viſcera in inſpiratione, ſed & in eadem, dum tendinem ejus caro deorſum ex omni plaga, & in diverſa trahit, eaque ipſa contractione ſua brevior fit, inſigniter ampliare thoracis cavum ad admittendum aërem, maxime ab utroque latere, quod pulmones occupant, & prorſus evaneſcit omnis opinionis umbra, cui veteres inhiabant, quando contenderunt, etiam ad arctationem & conſtrictionem thoracis facere diaphragma, licet enim negari non poſſit, quod in exſpiratione ſuperiora verſus aſcendat quodammodo, id tamen non fit ex ejus activitate propria, ſed potius tum cedit, & cedere debet elateri coſtarum, cujus efficacia ceſſante activitate muſculorum dilatatorum hauſtum per inſpirationem aërem rurſus exprimit, refragatur vero maxime huic hypotheſi & ſtructura diaphragmatis, & decurſus ejus fibrarum.

Neque tamen ſolus coſtarum elater ſubſidere thoracis fornicem facit, ſed juvant ſingulares muſculi *depreſſores*, *conſtrictores*, nam & a parte antica media thoracis, & poſtica, quæ ſpinæ dorſi reſpondet, nulla poteſt eſſe hujus elateris efficacia, multum faciunt ad eam depreſſionem & arctationem ipſi *abdominales muſculi* fortiſſimi, qui anticæ pectoris imæ parti, & lateribus totius fornicis, aut cratis latiſſimis ubique areis adnati ſunt, uti docebit

eorum hiſtoria proxime ſubnectenda; deinde maxime depreſſionem & arctationem thoracis a parte præſertim antica juvat *Triangularis ſterni*, qui ab omni ſterni ſuperficie interiore ac inferiore oritur, & oblique utrinque inſeritur cartilaginibus coſtæ veræ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ. Intercoſtales internos in prioribus demonſtravi nihil facere ad conſtrictionem, vel depreſſionem thoracis, licet a quibusdam huc referantur, poſſunt autem aliquid ad eam conferre *communis lumborum extenſor*, *dorſique*, is enim oritur ab oſſe ſacro, ac multiplici tendine inſeritur poſteriori coſtarum parti, deinde conſpirant actiones *Intracoſtalium Verheyeni*, qui detracta pleura in conſpectum prodeunt, ſex, ſeptem, octo, vel novem utrimque, oriundi haud procul a capitulis coſtarum, oblique aſcendentes, & deſinentes in coſta ſuperiore, nunc proxima, nunc ſequente, denique *Serratus poſticus inferior*, qui lato tendine a tribus dorſi vertebris inferioribus, duabusque lumborum ſuperioribus oritur, adnatus poſtea coſtis quatuor inferioribus, ſpuriis, ambiens, vaginæ ad inſtar, dorſi extenſores, ne in repentinis admodum trunci extenſionibus facile a ſe invicem harum fibræ recedant.

Abdomen muſculos habet decem, vel *quinque muſculorum paria*, & juvant hi thoracis quoque motum, præſertim quoque depreſſionem, uti proxime fuit monitum, deinde vero maxime faciunt quoque ad exonerandam alvum, pellendum foetum cum ſecundinis, exprimendamque urinariam veſicam, imo & vomiturientes & vomentes juvant, ita quidem, ut eorum tot in vomitu partes eſſe ſuſpiceris merito, quot ſunt ipſius ventriculi, quod enim attinet ad muſculos *oblique deſcendentes*, vel *obliquos externos*, qui extimum laterale muſculorum abdominalium ſtratum conſtituunt, hi carnei ex ipſis ligamentis vertebrarum lumbarium orti adnaſcuntur coſtis omnibus a quinta uſque ad duodecimam, ſuoque lato tendine membranoſo, quem ideo *aponeuroſin* vocant, vel *aponeuroticam tunicam*, deſinunt in ſpina ilei, oſſe pubis, maxime autem in medio abdominis, quod *alba linea*, lata ſatis, diſcernit, & quæ a ſcrobiculo cordis ad concurſum pubis oſſium uſque ducta eſt, formata e tendinibus muſculorum abdominis omnium mire inter ſe contextis, in medio lineæ hujus *umbilicus* eſt, interim aliquæ adhuc fibræ tendineæ hanc albam lineam tranſeunt, &, prout alias hic ex utroque latere muſculus dividit abdomen in dextrum latus & ſiniſtrum, ita reciproce tamen, ultima fila tendinea obliqui externi dextri declinant & emigrant ad ſiniſtrum latus, & vice verſa ſiniſtri obliqui externi ad dextrum, ſed ſingulare adhuc aliud Natura hic offert artificium, ſcilicet: educenda hic erant e penetralibus abdominis ad ima muſculorum horum, in viris quidem, ſpermatica vaſa, petitura teſticulos, in feminis, rotunda uteri ligamenta, inguinum ad pinguedinem elapſura, utraque comitari ſolet majoris roboris atque tutaminis cauſa peritonæi productio, ſive proceſſus, eum ergo in finem, ut ne turbaretur muſculorum horum fortiſſimorum actio, vel ea tranſituræ læderentur partes, pervios eos ad ima, haud longe a regione inguinum, obſequioſo elliptico lumine fiſſuræ ad inſtar juſſit eſſe, vocant: *annulum abdominis*, is frequentiſſimus *herniarum*, ſive *ramicum*, *rupturarum*, ſed male ita dictarum, locus eſt, quando enim preſſio, nixus ab interioribus nimis urget in hunc minoris reſiſtentiæ locum, utpote non munitum, defenſumque a portione horum obliquorum vel carnea, vel tendinea, quæ ubique locorum reliquam coërcet abdominis plagam omnem, facile illa preſſio aut inteſtini alicujus, aut omenti partem hanc apertam exprimit per portam cum tumore, facitque, ut ſemper genitalia verſus magis demittat ſe, quæ præcipua herniæ idea eſt. Sub eo externorum, ſive *deſcendentium obliquorum* ſtrato ſunt *obliqui aſcendentes*, vel *interni*, quorum ſcilicet fibræ aſcendentes fibras deſcendentium decuſſant, quique ſuis aponeuroſibus lineæ albæ additis rectos abdominis muſculos vaginæ ad inſtar involvunt, ad eorum enim externum limbum ubi pervenit aponeuroſis, finditur quaſi, & altera lamina ſub rectos demiſſa obviam it laminæ, venienti ex altero latere, altera ſuper eos ſcandit, ſimilemque viam petit, oriuntur autem hi muſculi carnei ex omni oſſium ilei ambitu, ſuaque aponeuroſi juncta tendini priorum deſinunt in margine inferiore ſpuriarum & coſtarum præſertim alba linea, quam quidem, uti ſupra de obliquo deſcendente fuit monitum, fibræ multæ transeunt, ubi autem elabuntur ad imum abdominis ex ejus interioribus partes memoratæ ſupra, deſcenſuræ ad ſcrotum, comitantur eas in viris fibræ abſcedentes carneæ tenuiſſimæ, quæ partem poſtea efficiunt muſculi *cremaſteris*, ſeu *elevatoris teſticuli*, prout etiam id fit ab infimo *muſculorum transverſalium*, qui latus magis tenent, ſtrato, & carneæ quidem hæ, tendineæque vaginæ proceſſibus peritonæi, qui funiculos comitantur ſpermaticos, firmiter adnaſcuntur, unde, cum intumeſcunt, poſſunt utique notabilem funiculo toti efficaciam imprimere, ipſisque teſticulis, quos totæ ambeunt; proveniunt autem hi transverſi a lumborum proceſſibus, coſtis ſpuriis, ileique criſta, & ſub rectis in lineam ſuis aponeuroſibus evaneſcunt albam; Medium fere abdominis tenent *muſculi recti* longiores multo ac lati,

hi

hi prope umbilicum ex utroque latere decurrunt, orti fere ab imis pubis oſſibus, & inſerti ſterno quatuorque coſtis, a potiori enim ultra imum ſterni aſcendunt, diviſit ſingulos hos interſectionibus tendineis modo tribus, modo quatuor Natura, iisque transverſis, per intervalla trium, quatuorve pollicum, ſed frequentiſſime hi ſuccenturiatos habent muſculos minores, a forma *pyramidales* dictos, ubi non ab ipſa oſſium pubis junctura oriuntur, tum enim caro pyramidalis inde aſſurgit recta quatuor digitorum transverſorum longitudine, quæ rectorum fini proxime adglutinatur, ſuum autem tendinem lineæ albæ miſcet, verum ſæpe prorſus deficiunt, modo unicus in uno tantum latere obſervatur, modo uterque, modo tres occurrunt, quin etiam quatuor in uno eodemque cadavere. Quodſi autem paulo exactius proſequi muſculorum horum effectus volumus, patebit: obliquos quidem externos, vel deſcendentes comprimere magis abdominis partem ſuperiorem, verſus dorſi ſpinam ad latera, internos vel aſcendentes comprimere potius partem abdominis inferiorem lateralem, mediam autem rectos cum pyramidalibus, quorum præcipua erit etiam in veſicam urinariam & uterum, rectumque inteſtinum efficacia, uti transverſales agent maxime in partem lateralem abdominis inferiorem & poſticam, remittentibus autem his a ſua contractione muſculis, dilatatur etiam iterum abdomen, itaque firmant illud ſimul, nimiamque dilatationem impediunt.

Mirifico autem artificio poteſt *univerſus* quoque *moveri* corporis *truncus*, & antrorſum quidem, retrorſum, ad latera flecti, totus inclinari, flecti, extendique ſubito in unam quaſi rigidam columnam, cum autem ejus partem ſtabilem, fixamque apparenter conſtituat præſertim oſſea illa columna ſpinæ, quæ dorſum imprimis efficit cum lumbis, itaque ad *Dorſum* maxime ac *lumbos* referuntur illi muſculi, qui hiſce ſerviunt motibus; *quinque* autem præcipua ſunt *muſculorum* huc facientium *paria*, quorum alia *extenſioni* famulantur, *tria*, & *flexioni* alia *duo*, eſt ſcilicet: *Extenſor*, *Sacrolumbaris*, qui ab oſſe ſacro, ileique poſteriore ſpina oritur, & inſeritur poſteriori coſtarum parti, deinde maxime huc facit *Longiſſimus Dorſi*, cui eadem eſt origo, & finis ad omnes dorſi vertebras, præcipue autem transverſas earundem apophyſes, ex parte quoque ad ipſas coſtas; tertius eſt *Semiſpinoſus*, qui oritur ab oſſe ſacro, & lumborum vertebris, fine autem ſuo adnaſcitur vertebris thoracis, earumque ſpinoſis præſertim apophyſibus; adeo hi tres muſculi cohærent inter ſe, ſibique invicem implicati ſunt, ut vix unquam absque laceratione ſeparari toti, dividique poſſint, quare vero haud eſt diſſimile, conſpirare illos in unam actionem, eandemque, ut non male a quibusdam pro uno communi *Extenſore lumborum*, *dorſi*, *collique* habeantur, id autem evidens eſt, quod, ſi uno tantum agant in latere, oblique dorſum ad latus trahant, ſi alternatim agant ſinguli, elevent oſſa innominata, dum incedimus. *Flexores* ſunt quodammodo ipſi *abdominales muſculi*, maxime *obliqui*, atque *transverſi*, ſed in ſpecie quoque antrorſum & ad latera flectere juvant: *Quadratus lumborum*, qui a parte anteriore ac ſuperiore poſterioris oſſis ilei proceſſus enaſcitur, ſuoque fine inſeritur apophyſibus vertebrarum lumbarium transverſis, ultimæ thoracis vertebræ, ultimæque coſtæ, accedit *Pſoas parvus*, quem Riolanus invenit, is tendineus oritur ex oſſe pubis, ubi jungitur id ileo, finiturque ad latus vertebræ lumborum ſupremæ, poteſt maxime quoque facere cum quadrato ad elevationem oſſium innominatorum, præſertim, quando decumbimus, ſed quandoque totus deeſt, obſervavit præterea *Douglaſius intertransverſales lumborum*, exiguos valde, qui transverſas inter lumborum apophyſes jacent, ex ora unius orti, vicinæque inſerti, hi lumbos præcipue movent ad latus.

Ipſe quoque *Anus muſculos* habet ſuos, quibus & *conſtringitur*, clauditurve, alios, quorum ope aperitur, dilatatur, *levatur*, conſtringit *Sphincter ani*, & inteſtini recti maxime quoque ab expreſſione fecum dilatati os claudit, prodiens ex ima oſſis coccygis parte, ſubjectaque huic cute, aſcendunt autem ejus fibræ a ſe invicem diſcedentes, anumque orbiculariter ambeuntes, implantatæ poſtea, in viris quidem parti bulbi urethræ infimæ, ſive muſculis acceleratoribus permixtæ, bulbum hunc inveſtientibus, in feminis autem imæ inſertæ vaginæ uteri parti; ſed aliquæ fibræ, nec paucæ declinant, nam, quæ ab oſſis pubis parte inferiore veniunt ac interiore, prope ipſam ſynchondroſin utrinque deſcendunt, & figura ovata quaſi, pollicis circiter latitudine, inteſtini recti extremum ambeunt, neque licet unquam ſolas, veras obſervare circulares, aut annulares fibras, certe pauciſſimæ ſunt. *Levatores duo* ſunt, qui utrinque amplo prodeunt principio ab interna oſſis pubis parte, tunica interni obturatoris, internaque oſſis ilei parte, nec non acuto iſchii proceſſu, inde fibræ radiorum inſtar a circumferentia pergunt quaſi ad centrum, ſphincterem verſus, & in parte inteſtini, quod cingunt, poſteriore coëunt, includendo ſimul veſicæ collum, proſtatas, & ſeminales veſiculas in viris, in feminis autem uteri vaginam, implantantur dein partim ſupremæ, poſteriorique ſphincteris parti, partim fibras miſcent cum

ovatis illis, annularibusque ſphincteris, ut ſic non tantum ſerviant levando ano, verum & ſimul exprimendis veſiculis ſeminalibus, proſtatisque in coïtu; addiderunt aliqui *Levatoribus* his *majoribus minores* cum Riolano, hi oriuntur partim tendinei, & partim carnei ab iſchii protuberantia, inde autem transverſi feruntur anum verſus, & inſeruntur in ſphincterem ejusdem, haud procul ab urethræ bulbo. *Veſica urinaria* proprium habet muſculum, cujus ope *conſtringere*, arctare, contrahere illam poſſumus, ut exprimamus urinam, vocatur *ſphincter urinariæ veſicæ*, ſive *conſtrictor*, & habet alium, *detruſoris urinæ* nomine, quem vero proprie *tunica* illa ipſius *veſicæ muſcularis* conſtituit, quæ ſtatim communem ſequitur extimam, e vario fibrarum, præſertim autem longitudinalium, transverſarumque tractu coagmentata, eſtque hæc verus antagoniſta ſphincteris, cum enim is conſtringere vult extremam veſicam, contranititur unita harum fibrarum actio, premitque omni e parte concavum ſubovatum veſicæ tenuem bulbum, *ſphincterem* enim efficiunt fibræ multæ transverſæ, quæ ſub rectis extremum colli veſicæ ſpecie arcus ambeunt, tumidæque claudunt, cohærent in viris inteſtini recti fibris immediate, in feminis autem ſubjacentis vaginæ fibris.

Habet vero ipſum quoque *coccygis os* muſculum, qui *coccygæus* dicitur, utrinque unus, oritur a poſteriori acutaque apophyſi oſſis iſchii & utrinque coccygis lateribus adnaſcitur, attrahit proprie coccygis os, & ſic ſimul ani levatores juvat, maxime autem coccygis os nimis retrorſum preſſum, ut fit præſertim in partu difficili, ad anteriora reducit in ſtatum naturalem, impedit in univerſum, ne luxari facile, nimisve retrorſum recurvari queat.

Teſticuli virorum pendent præſertim a ſuis *funiculis ſpermaticis* ex abdomine deſcendentibus, neque ſingularibus opus habent muſculis, *elevantur* tamen ſub coïtu, vel certe comprimuntur a *cremaſteribus*, quorum in hiſtoria muſculorum abdominis facta eſt mentio, ſuntque hi cremaſteres vaginæ muſculares, quæ totos ambeunt teſtes, tenues, extimum teſticulorum involucrum, extimam tunicam conſtituentes, natæ, ut in prioribus fuit monitum, e muſculis abdominis obliquis, atque transverſalibus. *Uterus muliebris* ſuis quaſi e ligamentis pendet, nullo muſculorum extra ſe auxilio mobilis, ipſa interim ejusdem ſubſtantia fibras carneas plurimas robuſtiſſimas intertextas habet ſibi, earumque ſumma eſt efficacia, quam frequenter ſatis evidenter immiſſa proxime a partu manus experitur, circa quam validiſſime totus quantus contrahitur ſæpe uterus. Præſertim quoque *urethra virilis* muſculos habet, & quidem *dilatatores* ipſi ſunt: *Transverſi*, vel *Transverſales*, diſtendentes eam, dum ſe contrahunt, orti plerumque, ubi occurrunt, e tuberculo iſchii oſſium, & inſerti ut plurimum parti urethræ bulbi poſticæ, accedit *Dilatator poſticus*, vel *triangularis*, ſæpe perexiguus, quandoque autem duplex, prodiens e parte ſphincteris ani antica, inſertusque parti acceleratorum, aut urethræ bulbi poſticæ, inferiorique; videtur eſſe antagoniſta & acceleratorum, & erectorum penis, eum enim ab oſſe pubis poſt ſeminis ejaculationem retrahit; verum & *conſtrictores urethra* eadem habet, ſunt *Acceleratores urinæ*, orti a *triangulari dilatatore* partim, præcipue autem utrinque a corporibus penis nervoſis, oblique pergentes ambeunt bulbum omnem partemque urethræ inferiorem ſpongioſam, implantantur autem lineæ, quæ ſæpe naſcitur e concurſu illorum corporum nervoſorum, bulboque adhæret, adeoque, ubi agunt, partem urethræ poſteriorem comprimunt, ſic urinam ex urethra, ipſumque ſub coitu præcipue ſemen expellunt. Ipſe quoque *Penis* muſculos habet ſuos, maxime duos, quorum ope obrigeſcit, vocant: *Erectores penis*, oriuntur ab iſchii oſſibus, inter horum tubercula, & initia corporis cavernoſi, & ſinguli tendine lato in corpora cavernoſa ſui lateris inſeruntur, ergo, dum agunt ſimul, premunt venas dorſi penis contra oſſa pubis, refluxum ſanguinis e pene impediunt, ſicque, dum ſub oeſtro venereo copioſe per arterias influit ſanguis, erectionem efficiunt, penemque tumere faciunt. Habet autem ſimiles *muſculos Clitoris*, *mentula muliebris*, quibus nomen eſt: *Erectorum clitoridis*, origo his eadem eſt fere cum erectoribus penis, mutatis mutandis, oriuntur nimirum ab iſchii oſſibus. inter horum tubercula, & initia corporis cavernoſi clitoridis, & ſinguli lato tendine adnaſcuntur corporibus cavernoſis clitoridis ſui lateris. Denique *Vagina uteri* peculiarem adhuc *muſculum* habet, qui eam arctat & claudit, eſt *Sphincter*, ſive *Conſtrictor vaginæ*, quem fibræ carneæ conſtituunt, ab ani ſphincter profectæ, quæ utrinque vaginæ orificium amplectuntur, cruribusque clitoridis inſeruntur, cum ergo intumeſcunt, comprimunt undique vaginæ limbum extremum, ut ſub coitu arctius immiſſo ſe peni applicet.

Sed fulcra quoque totius trunci, quibus innititur, id eſt, *pedes* maxime *muſculis* egebant, ordiamur a *Femore*, habet hoc *Flexores tres*, quorum duo priores in ipſo adhuc jacent abdomine, *Pſoas* videlicet *magnus*, & *Iliacus internus*, tertius *Lividus* audit, vel *Pectinæus* ab oſſe pectinis, vel Pubis, a cujus parte ſuperiore media fere oritur; Pſoas ille magnus a vertebra lumbari oritur prima, ſecunda, tertia, quartaque, neque, ut videtur, carne continua,

tinua, ſed diſtinctis capitibus, quorum alia proxime aliis adjacent, & cito commiſcentur, tendinem cum Iliaco interno efficit communem, qui adhæret capſæ coxæ articulum coërcenti. Origo *Iliaci*, quem vocant *internum*, eſt ab omni cavitate interna ilei oſſis, finis autem *trochanter minor femoris*, infra hos, iliacum ſcilicet, magnumque Pſoam, quatuor circiter digitorum intervallo adnaſcitur *pectinæi tendo*. *Extendunt* hoc *femur* tres muſculi, qui ſtratorum inſtar ſibimet invicem incumbunt, vocantur: *Glutæi*, & juncti molle podicis pulvinar, cui homo inſidet, efficiunt, extremus eorum, qui ſtatim poſt detracta ſequitur integumenta, latiſſimus eſt, dicitur: *Glutæus maximus*, alter ſub maximo *glutæus medius*, &, qui proximus eſt oſſi: *glutæus minimus*, omnes ſpiſſa carne oriuntur ab externa ſuperficie totius ilei oſſis, & iſchii parte, maximus vero etiam aliquid ſacri, coccygisque oſſis tegit, ſinguli denſos in tendines nitentes abeunt, & maximi tendo inſeritur oſſi femoris ad quatuor circiter digitorum diſtantiam infra *trochanterem* ejus *majorem*, medii autem & minimi tendo ipſi huic adnaſcitur trochanteri.

Sed poſſumus alterum *abducere femur* ab altero, poſſumus idem reducere, vel *adducere* ad illud, *adductor* eſt inſignis muſculus, *Triceps*, quem Galli etiam *Garde du pucellage* vocant, quoniam, dum femur adducit ad alterum, eo ipſo in feminis acceſſum ad vaginam, & ejus orificium impedit, oritur ejus primum & ſecundum caput juxta ſynchondroſin pubis oſſium, tertium ab iſchii tuberculo, projicitur autem dein, definitque totus muſculus in omni femoris ſpina; *femoris abductionem* quatuor juvant muſculi, referunt eo *faſciam latam*, *muſculum membranoſum*, aut *tenſorem vaginæ femoris*, (quod ultimum nomen præcipuam ejusdem uſus & officii partem exprimit,) deſcribam autem eum in hiſtoria tibiæ muſculorum; alter eſt *Quadratus*, qui ab iſchii tuberculo enaſcitur, & projectus per intervallum utriusque femoris trochanteris deſinit in eminentia utrique huic interjecta; tertius abductor eſt: *Pyriformis*, qui craſſus oritur ab illa ſacri oſſis parte, ubi oſſi adglutinatur ileo, finitur fine communi cum ſequentibus abductoribus, qui ſunt: *gemini duo*, *ſuperior* & *inferior*, & quorum hic ab iſchii tuberculo prodit, alter a poſteriore ac inferiore ilei ſpina oritur, uterque autem cum pyriformi ſinui trochanteris majoris innaſcitur.

Poteſt vero etiam *rotari* & prorſus *converti femur*, vocantur muſculi, qui hoc præſtant: *Rotatores femoris*, vel *Obturatores*, ſuntque *internus obturator*, & *externus*, hic ab externa peripheria magni foraminis oſſis pubis oritur, & innaſcitur foveæ juxta trochanterem femoris majorem, ille a circumferentia interna ejusdem foraminis enaſcitur, & inſertionem cum priore habet eandem; uterque poteſt etiam aliquid facere ad femoris abductionem.

Huic autem femori circumjacent potentiæ moventes & muſculi, qui ſerviunt *Tibiæ*, quæ a genu incipit, & cujus ope totus, qui ſub femore pes eſt, variis moveri modis poteſt. Maxime autem notabiles ſunt motus: *Tibiæ flexio*, & *extenſio*, fit illa per quinque muſculos, quorum tres priores communem habent finem in parte tibiæ interiore ac ſuperiore, ſcilicet: eſt *Gracilis*, qui prope ſynchondroſin pubis oſſium enaſcitur, deinde *Semimembranoſus*, qui ſuperius oritur ab iſchii tuberculo, & *Seminervoſus*, qui poſterius ab eodem prodit tuberculo; accedunt his *Biceps femoris*, cujus primum caput ab iſchii tubere deſcendit, alterum a parte femoris media emigrat, utrumque autem finitur in parte fibulæ, oſſis tenuis, tibiæ appoſiti, ſuperiore, denique *Poplitæus*, exiguus muſculus, qui tendine terete ab exteriore femoris condylo deſcendit introrſum ſub poplite, ibique carneus fit, ſed tandem in parte tibiæ ſuperiore ac interiore deſinit. *Extenſionem* quatuor præſtant robuſtiſſimi muſculi, quorum pars maxima femoris antica occupat, multa etiam caro latus & poſtica, hi robuſtum tendinem communem mox ſupra genu adunant, & huic ſubtus *patella* inhæret, deſcendit autem ulterius tendo, & infra genu demum tibiæ tuberculo adnaſcitur, ſunt hi muſculi *Rectus*, qui a ſpina ilei anteriore ac inferiore oritur; *Cruralis* ſub recto projectus, & e tota femoris anteriore parte ortus, *Vaſtus externus* enatus ex omni parte poſtica femoris & externa, & *Vaſtus internus*, ortus ex omni parte femoris poſtica & interna.

Sed eadem quoque *tibia* poteſt ad exemplum femoris *adduci* & *abduci*, fit hoc ab unico muſculo, quem vocant: *Sartorium*, *Elevatorem femoris*, oritur is intus ab anteriore ac ſuperiore ilei ſpina, oblique hinc deſcendit, partique tibiæ interiori & ſuperiori adnaſcitur, eamque ſic & adducit & elevat ſimul cum femore ſuper alterum femur, ut ſedere ſartores ſolent, *abductorem* vocant illum *Membranoſum*, qui aliis *faſcia lata*, *tenſor vaginæ femoris* audit, qui brevi carne ab exteriore, priore ac ſuperiore ilei criſta oritur, mox vero infra majorem femoris trochanterem, & ſupra medium adhuc oſſis hujus longitudinem membranaceus fit, ſuamque aponeuroſin addit, miſcetque tunicæ illi communi, quæ muſculos omnes in femur projectos arcte includit, inſeritur autem ſuperiori tibiæ capiti juxta *fibulæ capitulum*, & per tibiam omnem aponeuroſin ſuam diffundit,

facere quoque hunc muſculum ad *abductionem femoris*, monitum fuit ſupra.

Miro autem artificio, quod nunc ſequitur infra tibiam, id eſt: *Pes extremus* pariter ſuos habet proprios motus, & eſt quædam ſyntaxis oſſium analogia cum manu, quemadmodum ea habet ante in digitos, quam abeat, primo quidem per transverſum duos oſſiculorum artificioſiſſime coagmentatorum ordines, deinde alium ordinem oſſium per longitudinem ab illis excurrentium, digitisque reſpondentium, ita hic a tibia *tarſus*, ut ibi carpus, incipit, qui autem e ſeptem tantum componitur oſſibus, hujus ope rurſus omnis moveri pes extremus poteſt, motu autem ſaltem impreſſo tarſo, nam eum ſequi tum reliquus pes debet, ergo ſunt ſingulares rurſus *muſculi extremi pedis*, vel *tarſi*, primo quidem *Flexores tres: Tibialis anticus*, qui oritur a ſuperficie tibiæ ſuperiore ac exteriore, finitur autem ad os cuneiforme ac metatarſi reſpondentis internum, *Peronæus* aut *Fibularis anticus minor*, e parte fibulæ quaſi media & anteriore pronatus, oſſique metatarſi exterius adnatus, & *Peronæus* aut *Fibularis anticus major*, qui tam origine, quam inſertione cum priore convenit.

Extenſores itidem *tres tarſus*, vel *extremus pes* habet, eſt *Gaſtrocnemius*, potiorem ſuræ partem efficiens, qui a binis femoris condylis oritur, deinde *plantaris*, qui ab interiore condyli femoris externi parte proficiſcitur, & *ſolaris*, *ſolearis*, *ſolæus*, qui a tibiæ, fibulæque parte ſuperiore ac poſteriore oritur; carnes trium horum muſculorum confluentes *ſuram* omnem efficiunt, juncti autem tendines robuſtiſſimum illum funem tendineum, qui *Chorda* vel *Tendo Achillis* dicitur, & qui poſteriori calcanei parti firmiſſime adnaſcitur. Porro autem *Tarſus abductorem* etiam habet, *adductoremque*, hic *Tibialis* eſt *poſticus*, ortus a parte tibiæ, ligamentique interoſſei ſuperiore, inſertus oſſi naviculari, *abducit tarſum* alius e parte fibulæ ſuperiore ortus, *Peronæus poſticus*, cujus tendo ſub oſſe cuboide reflectitur infra pedis tarſum, inſeriturque metatarſi oſſi, quod hallucem ſuſtentat, frequenter tendini huic, ubi ſub oſſe cuboide tranſit, *ſeſamoideum* in ſenibus inhæret os.

Habent vero & *Pedum Digiti* ſuos muſculos, & *communes* & *proprios*, primo quidem *Extenſores*, quorum duo ſunt: *Longus*, qui a parte tibiæ ſuperiore, anteriore autem ligamenti tibiam inter & fibulam protenſi oritur, tendinem autem in quinque portiones findit, quarum quatuor ſuperius phalangis quatuor digitorum, quinta vero oſſi metatarſi extimo inſeritur; *Brevis*, qui a parte calcanei ſuperiore ac anteriore pronaſcitur, fine autem ſuo modo in tres, modo quatuor diviſo tendines, tribus vel quatuor digitis halluci proximis inſeritur. *Flexorum communium tres* obſervare licet ordines, & ſingulæ ſuos habent phalangæ, *flectunt* ſcilicet *phalangam* primam extimam, *quatuor lumbricales*, qui aſſident tendini muſculi perforantis, & oriuntur ab eo, & interiore calcanei parte, adnaſcuntur autem fine ſuo faciei digitorum interiori, *phalangam mediam* vel *ſecundam flectit Perforatus*, qui a facie calcanei prodit inferiore ac interiore, dividitur dein ſuo fine in quatuor tendines perforatos rima oblonga, qui capitulis oſſium phalangæ ſecundæ poſterioribus adnaſcuntur, *phalangam tertiam*, vel primam a metatarſo *flectit Perforans*, qui a parte tibiæ poſteriore, ſuperiore, mediaque oritur, finem autem pariter in quatuor findit tendines, prioris per fiſſuras trajectos, & in tertia deſinentes phalanga. Sed & aliquam *adductionem* ſinguli admittunt digiti ab *interoſſeis* quatuor *internis* metatarſi oſſibus interjectis, *abductionem* ab *interoſſeis externis tribus*. *Proprios muſculos* habet *Hallux ſeptem*, *Extenſorem longum*, qui anterius a parte fere media fibulæ, ligamentique interoſſei oritur, & phalangæ primæ inſeritur, & gibbæ aut ſuperiori ſecundæ ſuperficiei, dein *Extenſorem brevem*, qui a parte calcanei ſuperiore oritur & anteriore prope aſtragalum, & finem cum priore communem habet, quandoque autem videtur tantum pars extenſoris communis eſſe, porro eſt halluci *Flexor longus*, qui a parte fibulæ poſteriore oritur, & phalangæ ultimæ inferiori parti ſuo fine adnaſcitur, juvat hunc *Flexor brevis*, cui origo eſt ab oſſe cuneiformi medio, finis ad oſſa duo hallucis ſeſamoidea, quæ primæ illius phalangæ per ligamenta junguntur.

Suum vero & *Abductorem hallux* habet, duosque *adductores* ad reliquos digitos; *Abductor* ille *Thenar* eſt, qui ab interno calcanei, oſſisque navicularis latere oritur, & finem habet ad latus hallucis internum, in oſſe ſeſamoideo interno; *Abductores* ſunt: *Antithenar*, cui cuneiforme os tertium, calcaneique pars antica originem dat, finem autem ſeſamoideum os externum, deinde *Transverſalis*, qui a quarto metatarſi oſſe oritur, & juxta priorem deſinit; videtur etiam hic muſculus digitos ad hallucem, aut ad ſe invicem adducere.

Habet præterea *digitus* ab *Halluce* primus *adductorem proprium*, & *abductorem*, eſtque *abductor*: *ſecundus interoſſeus externus*, vel *ſuperior*, ſecundum inter tertiumque metatarſi os projectus, utrinque natus e tertio, quartoque metatarſi oſſe, totum hoc explens intervallum, & inſertus externo digiti primi lateri; *Adductor* eſt *interoſſeus externus primus*, qui ſitus eſt inter oſſa hallucis & metatarſi primi digiti, totum occupans oſſeum intervallum, & in par-

in parte pedis tam ſuperiore, quam inferiore conſpicuus, prodit autem e capitulo poſteriore oſſis metacarpi ſecundi, & latere hallucem reſpiciente, partim ſuperius, partim inferius, & inſeritur interno primi digiti lateri, hallucem reſpicienti. Habet pariter *Adductorem* & *Abductorem ſecundus* vel *medius digitus*, & eſt quidem *Adductor interoſſeus inferior*, ſive *internus primus*, qui oritur ex omni concava, vel inferiore oſſis metatarſi tertii parte, abitque in latus internum digiti medii, neque is aliter conſpici poteſt, niſi quidem inferne in eodem interſtitio; *Abductor* eſt *interoſſeus externus tertius*, qui utrinque oritur e tertio, quartoque metatarſi oſſe, digitique medii latere externo implantatur; *Tertius digitus*, qui proximus eſt ad minimum *Adductoris* loco utitur: *interoſſeo interno ſecundo*, qui a concava oſſis metatarſi quarti ſuperficie oritur, & ad internum digiti tertii latus deſinit; *Abductorem* habet: *interoſſeum externum*, vel *ſuperiorem quartum*, qui ſuperne quartum inter quintumque metatarſi os jacet, utrinque ortus ex oſſibus vicinis, & deſinens in externo digiti tertii, vel minimo proximi latere.

Denique *minimus digitus tres* proprios habet *muſculos*, eſt ipſi: *Flexor proprius*, qui e poſteriore oſſis metatarſi quinti capitulo, partim & calcanei oſſe oritur, & inſeritur inferiori primæ phalangæ parti; deinde *adducitur* ab *interoſſeo interno tertio*, qui e concava, ſive inferiore oſſis metatarſi quinti ſuperficie oritur, & inſeritur interno digiti minimi lateri; habet vero etiam *abductorem proprium*, qui partim ab oſſe metatarſi quinto, partim & ex inferiore ac anteriore calcanei ſuperficie proficiſcitur, deſinitque in exteriore primæ phalangæ latere.

Diſcimus ex hac hiſtorica tantum muſculorum deſcriptione, incertum quidem eſſe muſculorum numerum, ſed inſignem tamen, & poſſe ad minimum quadringentos numerari, ſummam autem id præcipue admirationem excitat, quomodo per eos, tanquam voluntarii motus inſtrumenta, motus fieri tanta velocitate, imo quaſi momentaneus poſſit? neque id mirum æque videtur ob muſculorum multitudinem, ac ob multiplices illas mutationes, quæ intercedunt ſingulos motus voluntarios, eſt enim, ut conſequatur talis motus, neceſſe, ut primo externa objecta ſenſus feriant externos, ut impreſſionem hanc anima diſtinguat ab aliis, & internis etiam perceptionibus meratioribus, ut mens deliberet, decidatque concepta ex idea, quid agendum ſit? qui muſculi ſint animandi? ſed vix idea determinat, & parent ejus imperio muſculi, videnturque tum obſequio perniciſſimo ſpiritus animales, quo titulo liquidum inſigniunt nerveum, e cerebro, medullaque ſpinali advolare muſculis, influere muſculis, eos excitare, omnemque muſculorum & carneam & tendineam partem ad motum provocare, ut validiſſima vi moti, tenſique tendines, affixi oſſibus & articulis, artus integros, brachia, manus, pedes modo flectant, modo extendant, modo alia ratione moveant, modo quieſcant a motu, idque toties repetant, quoties velit homo, & eo continuent uſque, quo placuerit; & velocitatem quidem effectus, ac mutationis momentaneam & immenſam agnoſcunt & percipiunt ſenſus, ratio autem aſſequi nequaquam poteſt, unde profecto non leve argumentum habetur ex his, quæ in corpore fiunt noſtro, ex obſcuritate operum Divinorum, infirmitatis rationis noſtræ, imperfectionis intellectus humani variis in ſcientiis, fragilisque Naturæ noſtræ fragilitatis.

De reliquo, quemadmodum hactenus de membranis & carnibus, ita nunc etiam de ceteris partibus uniformibus agetur. Monendum autem hic eſt, uti ſupra ſæpe *pinguedinis* mentiorem injeci, quod in multis corporis regionibus pinguedo ſit obvia, & quod illa e ſanguine arterioſo ſecernatur fluidiſſima per ſingularia emiſſaria, quæ ductus vocant adipoſos, ſecreta vero condenſetur, effuſa in areolas cellularum tunicæ propriæ ob frigidas, & ſiccas cutis & oſſium qualitates in maſſam mollem, albidam, ad flavum vergentem; conſiſtentia tamen varia eſt, ita, ut quibusdam in locis, modo tardius, modo & ocyus liqueſcat, & condenſetur, exemplo medullæ oſſium, pinguedinis cutis, cordis, adipis renum, aliarumque partium, ſebi, atque ſic porro, ſed omnis hæc pinguedo proprie data eſt, ut corpus defendat ab acrimonia humorum, externoque frigore, ut fibras muſculares continuo perungat, flexilesque conſervet, ut his, multisque glandulis, partibusque glandulosis mollis loco pulvinaris inſerviat, quod damna prævertat ab externis metuenda preſſionibus, ut denique ornamenti cauſa ſpatia paſſim expleat vacua pro conſervanda univerſi corporis habitus pulcherrima ſymmetria.

CAPUT III.

De partibus uniformibus, quæ totum corpus, ejuſque partes omnes nutriunt, & vivere faciunt.

Poſtquam nunc e laborioſa muſculorum hiſtoria evaſimus, oportebit jam proſequi amœniſſimos illos rivulos, qui totum ſuis humoribus irrigant corpus, *Vaſa* ſcilicet, quæ ſanguinem, quæ alios humores ſubtiliores variorum ordinum in ſe vehunt, & jure quidem omni ad hanc tranſimus contemplationem, illæ namque partes, quæ totum perreptant corpus, illud nutriunt, animant, ſenſibilitate donant & mobilitate, merito ſequuntur eas, quæ ſe ipſas contingunt, & proxime ſub extrema corporis ſuperficie jacent: vaſa hæc, quæ Hippocrates fluvios humanæ naturæ appellat, ut vivum conſervetur corpus, ratione quidem imperſcrutabili, nutritionem, vitam & ſenſibilitatem impertiuntur corpori, per hos enim canales ad extrema uſque corporis deducitur materia, quæ ab aſſumtis alimentis in officinis digeſtionis, per quas radices quaſi ductuum corporis nutrientium projectæ ſunt, præparatur & elaboratur ex parte in ſuccum nutritium, perficienda ulterius & aſſimilanda humanos in liquores a reliquo vaſorum ſyſtemate.

Ordiamur a vaſis ſanguineis, & primo quidem de *ſanguineis vaſis in genere* ſermonem faciamus: ſunt illa quidem, quæ *arteriæ* dicuntur, canales ſubalbidi, conoidei, oblongi, concavi, qui per ſe non multum habent ſanguinis, conſtantes e pelle denſa, variis contexta e fibris, ſanguinem ex hepate, quod radix vaſorum eſſe viſum fuit Veteribus, & excoquere cruorem, per venam cavam infuſum cordi continentes, eumque ſemper magis elaborantes, tandem vero & eundem per extremos ſuos fines effundentes, diſtribuentes, diffundentes, & ſic omnia irrigantes & humectantes. Eſt vero, ac ſi vaſa omnia, *venæ*, *arteriæque* prorſus inter ſe cohærerent, quodſi enim in cadavere infantis recens nati flatum per venam impellis umbilicalem, aër tam per *venæ portæ* ramos penetrat, teſte inteſtinorum aſſurgentium elevatione, quam in *Venam cavam*, nam & cor attollitur, & pulmones intumeſcunt, poſſumus autem hanc portæ Venam, Cavamque pro venis corporis, vel venarum truncis præcipuis habere, oriuntur enim ab his, uti certe Veteres exiſtimabant, reliquæ tantum non omnes, & mira eſt utriuſque in hepate unio & implicatio mutua.

Vena portæ ſuas radices ſuperiores maxime ſpargit per partem hepatis infimam, concavam, cui *vena umbilicalis* adhæret, quæ *fiſſuram hepatis*, ad binas illas eminentias intrat, venæque portæ ramus eſſe creditur, converſus in adultis & mutatus in *ligamentum hepatis rotundum*; ipſe vero venæ portæ truncus ſurculos duos ad cyſtidem, ſeu veſiculam felleam emittit, qui circa veſiculam illam repentes *cyſticæ venæ* ſunt, deinde *gaſtricam dextram*, quæ a poſticis pylorum verſus excurrit, vel dextrum ventriculi orificium, ante vero, quam venæ portæ truncus hepar ſubit, ſunt ejus quaſi *radices*, *inferiores rami*, vel trunci potius duo venarum omnium abdominis, quæ ſanguinem e partibus & viſceribus peritonæo concluſis, excepto hepate, reducunt, *ſiniſter* qui *ſplenica vena* eſt, & *dexter*, qui *vena ventralis* dici poſſet, aut *cœliaca*, illa vero *ſplenica*, quæ paulo altior & minor eſt ventrali, ante lienem quam ſubit, ramulos dimittit varios, ad poſticam ventriculi partem, *ſiniſtram gaſtricam minorem*, ad fundum ventriculi *dextram gaſtricam majorem*, quæ, dum aſcendit, cardiam coronæ inſtar ambit, tandemque prope bilarium ductum finitur, tertio ramulos emittit ad partem *omenti* poſticam, *inteſtinum colon*, *dextram* & *poſticam epiploicam*, minimi denique ſurculi excurrunt ad *pancreas*, cui truncus inſidet, ubi vero denuo finditur, *venam brevem*, *vas breve* dimittit ſurſum ad latus fundi ventriculi ſiniſtrum, & *epiploicam ſiniſtram* ad latus omenti ſiniſtrum; ramus autem maxime notabilis ſplenicæ hujus venæ *ſiniſtra* eſt *gaſtro-epiploica*, quæ ventriculi fundum perreptat, & obviam facta dextræ hujus nominis anaſtomoſin cum ea ſubit; reliqui hujus ſplenicæ venæ rami totam pererrant lienis ſubſtantiam, ut bene ibi carminetur ſanguis. *Dexter* autem ille *venæ portæ ramus inferior*, dextra radix bifida eſt, & *dexter* ejuſdem ramus totum per meſenterium diſtribuitur, maxime autem cruorem recipit ex inteſtino jejuno & ileo, *ſiniſter* autem ex eodem meſenterio & iiſdem inteſtinis recipit ſanguinem, & frequentes dextri ſiniſtrique rami anaſtomoſes admittunt, poſt eam conjunctionem oriuntur ex his venis *hæmorrhoidales internæ*, quæ natæ juxta finem coli ſub inteſtino recto, cujus exitum circumdant, ad anum excurrunt uſque; nullas vero hoc venæ portæ ſyſtema valvulas habet, eoque maxime ſe diſtinguit a venis omnibus.

Venæ Cavæ truncis radices ſuas maxime ſpargit per convexam hepatis partem, eæque radices ita permixtæ ſunt, & unitæ venæ portarum extremis, ut facile cruor ex uno ſyſtemate

mate fluat in alterum, cohærent enim utriusque fines & ad extrema, & in medio, ſed omnes denique Cavæ Venæ radices in ſuprema hepatis parte in unum confluunt truncum, qui & ſurſum, & deorſum totum permeat corpus. *Aſcendens*, vel *inferior truncus* penetrat per diaphragma, cui ad utrumque latus ramulos impertitur, ejus per ſubſtantiam repentes, & ad pericardium uſque procurrentes, cui minimos quandoque ramulos dant, ad latus fere dextrum, ibi truncus ipſe accedit ad *cor*, cui *venam* dat *coronariam*, quæ ſuperficiem ejus coronæ inſtar ambit, multis in ipſam carnem immiſſis ramis, tandem foramine magno truncus hiat in *ventriculum cordis dextrum*, ibique in embryonibus quidem, ergaſtulo adhuc incluſis materno, commercium habet cum arteria *pulmonali*, e ſiniſtro cordis ventriculo prodeunte, interventu magni ſatis *foraminis ovalis*, quod in adultis clauditur & coaleſcit, poſtquam pulmo ſuo fungi rite coepit officio, ea enim affert cruorem, qui cum ſanguine arteriæ bronchialis embryoni quoque affluxerat pro nutriendis pulmonibus, utcunque paucus, allatus per venam cavam ex umbilicali funiculo.

Dum vero truncus hic aſcendit ulterius, occurrit *deſcendenti*, vel *ſuperiori Venæ Cavæ trunco*, qui haud longe a connubio cum illa inferiore, aut aſcendente cava ramum amplum emittit, qui eſt *Vena ſine pari*, vel *azyga*, ea deorſum excurrit ad latus ſpinæ dorſi dextrum, & utrinque multos ramos emittit, ſurſum, deorſum, a quibus etiam ad intervalla coſtarum, *venarum intercoſtalium* nomine ſurculi educuntur, quorum etiam aliqui ſæpe ſuperne ramulis mammariarum nubunt, inferne autem extremus ramus ſiniſter venæ cavæ trunco prope venam emulgentem, imo ipſi emulgenti ſæpe implantatur, uti dexter inferior ramus cum prima lumbari anaſtomoſin ſubit. Supra venam hanc azygam oritur *Coſtalis*, quæ prope ſuperiores coſtas in quatuor ſe ramos findit, ubi hæc deeſt, locum ejus, viceſque ſupplet hæc azyga. Verum ille cavæ ſuperioris, vel deſcendentis truncus, ubi pectus deſerit, & collum aſſequitur, imo jam ſub ipſis claviculis in duas magnas divaricatur *ſubclavias venas*, a quibus deorſum emigrare videntur primo: *vena mammaria*, quæ ſuis ramis proſpicit muſculis pectoralibus, ipſiſque mammis, hæc ſub ſterno deſcendit in ſuperficie poſtica rectorum abdominis muſculorum, ubi ſupra umbilicum ipſi obviam eunt *epigaſtricæ venæ*, anaſtomoſin cum ea ſubeuntes; deinde venula, quæ per pericardium & mediaſtinum, thymumque repit, & ſe venulis diaphragmaticis, aut phrenicis pariter eo tendentibus unit, tertio, ramulus *venoſus cervicalis*, diſtributus ad muſculos vicinos, imo etiam, dum lateralia permeat vertebrarum foramina, ipſam ad medullam ſpinalem, quarto *vena muſcularis inferior*, quæ muſculis proſpicit inferioribus colli & ſuperioribus pectoris; ſurſum vero ab his ſubclaviis aſcendere videntur: *vena muſcularis ſuperior*, quæ cervicis muſculis, ipſique cuti proſpicit, quinto, *vena jugularis externa*, & *interna*, valvulis inſtructæ omnes, ne redire ſanguis ullibi poſſit. Externa jugularium harum minor eſt, multos ad muſculos ramos emittens, ſed ubi ad maxillæ inferioris articulum pervenit, ramum inſignem dat faciei, a quo prope aurem in profunda ſerpit ramus aliquis, reliqui vero rami ad laryngem & linguam excurrunt; *interna* major *jugularis*, multis ſparſis ramis ad latus tracheæ itinere recto aſcendit in cerebrum, & alio quidem ramo per foramina penetrat, per quæ ſextum nervorum par elabitur, alio per foramina tertii, quartique paris, maxima vero trunci pars excipit cruorem e *ſinibus* illis duræ matris cerebri *lateralibus*, ubi ſecundus & tertius confluunt & quartum in profundo quaſi occultant, ſubtus cerebrum inter & cerebellum, exonerat autem ſe in laterales hos ſinus *longitudinalis* ab anticis veniens, reſpondensque parallelus futuræ ſagittali cranii. Id autem prorſus eſt mirabile, quod, quemadmodum aliâs ubique per totum corpus venæ arterias comitantur, hic in cerebro prorſus decurrant ſeparatæ ſingulæ, ſeque invicem prorſus non contingant, ita quidem, ut venæ deorſum ſpectent, arteriæ vero ſurſum. Oriuntur autem ab illis quatuor majoribus ſinibus innumeræ cerebri venæ; declinant illi ſinus haud parum ab indole venarum, forma triangulares, & ſingulari artificio matri duræ multa cum firmitate intexti, nec enim poterant locari commode, digerique in molli cerebri pulpa tot cerebri venæ, quot opus habebat pro reductione ſanguinis a nutritione ſuperflui, & ſecretione.

Redeamus autem ad ipſas *ſubclavias venas*; quamprimum ſuperaverunt pectus, & ex eo evaſerunt, ad latus reflexæ vocantur: *Axillares venæ*, in duos fiſſæ ramos, *ſuperiorem*, qui ad externum brachii latus decurrit, & *inferiorem*; qui ad latus internum deſcendit per brachium; uterque ab eadem prodit origine, reliquiſque omnibus brachii venis, diametro, ſitu & numero in ſubjectis variis inæqualibus originem dat; *inferior internus axillaris venæ ramus* mox ramum dat muſculis pectoris anterioribus, alterum vero poſticis muſculis, qui ſunt ad latus, & mira ratione venæ pectorales uniunt ſe ramis azygæ, tum ſe findit inter muſculos brachii, & quidem in *profundum* & *cutaneum* ramum, ille *profundus ramus* decurrit cum axillari arteria, quartoque brachii nervo ſuper cubitum intus, ubi diviſus juxta carpum & radium

ſub armillari carpi ligamento ad intima manus uſque prorepit ; illa vero *cutanea vena*, quæ per cutem diſpergitur, altero quidem ſuo ſurculo excurrit juxta internum cubiti tuberculum, *Baſilicæ* nomine, quæ in dextro quidem latere *vena hepatica*, in ſiniſtro *ſplenica* vocatur ad auricularem uſque digitum, ibique ſe miſcet ejus finis cum extremitatibus *cephalicarum*, altero vero ramo cutaneo unit ſe ſurculo ſuperioris externi rami, & cum eo efficit in flexura cubiti *venam communem*, vel *medianam*. *Superior externus* axillaris venæ *ramus* ſub cute, cui haud paucos impertitur ſurculos, dividitur prope tuberculum cubiti externum, ibique ſuperior, major ramus efficit *cephalicam*, quæ in medio brachii ſub cubiti flexura oblique carpum verſus excurrit, & in manu extrema in multos abit ſurculos, quorum maximus per dorſum manus ad auricularem digitum excurrens audit *ſalvatella*; ſed alter minor ramus, dum ſe conjungit cum ramo hepaticæ, conſtituit *medianam*, quæ ſupra radium deſcendit, ſuosque fines miſcet extremitatibus cephalicæ in extrema manu, vocaturque ſurculus pollicem verſus excurrens, *vena ocularis*, vel *cephalica manus*, hæque venæ ſunt, cruorem omnem ab extremitate ſuperiore reducentes.

Quemadmodum autem Venæ Cavæ aſcendens truncus multos in ramos diffunditur, ita qui poſt curvaturam deſcendit etiam, anatomice loquendo, phyſiologice, aſcendens, non pauciores fere ramos habet, qui partibus corporis inferioribus proſpiciunt. Dimittit enim ante ad ſacrum os, quam cum aorta, vel arteria magna pervenit, quinque notabilium venarum paria; primo quidem *venas adipoſas*, quæ omnem adipoſam renum tunicam perreptant, & quarum dextra ſæpe ab emulgente vena oritur, deinde ipſas *emulgentes*, aut *renales venas*, quæ veniunt e ſubſtantia renum, harum autem ortus eſt inæqualis, dextra utplurimum ſiniſtra loco prodit altiore, utraque valvulas habet, ne remeare cruor poſſit, tertio *ſpermaticas venas*, quarum dextra medio e trunco, ſiniſtra vero ex emulgente oritur, deſcendunt hæ oblique ad ſcrotum & teſticulos, vel potius ex his aſcendunt; quarto *lumbares*, quandoque duplices, vel triplices ad vertebras lumbares, in quas diffundunt ſe, uti & abdominis muſculis proſpiciunt, &, quoniam ab his ad latera ſpinalis medullæ ramuli ad cerebrum uſque aſcendere videntur, commercium habentes cum illis vertebralibus, quæ per foramina colli vertebrarum deſcendunt, & ideo quibuſdam cervicalium nomine veniunt, crediderunt veteres, materiam ſeminis, utpote liquoris nobiliſſimi & ſubtiliſſimi per has venas defluere inde, quinto. *venas muſculares*, quæ ramos ſuos ſpargunt ad muſculos eoſdem, quibus etiam lumbares proſpiciunt, imo & quandoque hæ muſculares oriuntur e diviſis lumbarium ramis. Jam poſtquam has emiſit *Cava* venas, ſuperat, ſcanditque ſuper aortam ſibi ſubiacentem, & ad quartam lumborum vertebram intra ipſum adhuc abdomen in duos finditur principales ramos, qui ſunt: *Iliacæ venæ*, harum utraque dimittit: *ſacras venas*, quæ anterioribus e foraminibus ſacri oſſis prodeunt, & ex ipſo hoc oſſe cruorem reducunt; deinde *pudendas*, quæ cruorem e ſcroto, vel pudendis, & vicinis partibus carnoſis reducunt, tertio: *epigaſtricas*, quæ muſculis abdominis, præſertim rectis proſpiciunt, atque ad eorum finem mammariis nubunt, & quarto: *hypogaſtricas*, magnas, quandoque bifidas, ad uterum, veſicam urinariam, nates, genitalia, muſculos vicinos, ipſa etiam inteſtina, maxime rectum excurrentes, infinitiſque ramulis has permeantes partes, ipſas etiam dimittentes *hæmorrhoidales venas externas*, per quas quandoque Natura liberat ſe ab infarctu viſcerum abdominalium, vel certe ſyſtematis Venæ Portæ, quod cum hoc anaſtomoſes ſubit multas. His autem emiſſis ramis breve iter emetiuntur iliacæ abſque ramis, deſerunt abdomen, atque pedem petunt, (loquimur enim hic anatomice) mox autem ſub illo Poupartii ligamento dividuntur in *externas*, & *internas*, & ubi ad femur pervenere, *femorales venæ*, poſt *crurales* audiunt, quarum interior partim per femur diſtribuitur, partim cum externo ramo per omnem pedis longitudinem excurrit, & ſimul ſex magnas & notabiles edit venas, earum prima, ramus videlicet internus, qui juxta malleolum pedis internum decurrit, nomine *Saphænæ*, quam ſibi mulieres quaſi ſolis vindicant, vena roſæ vulgo, orta e regione glandularum inguinalium, deorſumque in profundis ad tibiæ cutem excurrens, cui quatuor impertitur ſurculos, & inde ad malleolum internum, ubi & a Chirurgis frequenter ſecatur, tendens, deinde autem in dorſum metatarſi prorepens, altera eſt *minor externa*, cui alias vulgus ab epilepſia nomen dat, e directo priori oppoſita cuti femoris, eique ſubjacentibus muſculis proſpiciens, paulo infra hanc *muſcularis bifida*, quæ ſurculo minore muſculis tibiæ, majore muſculis, cutique femoris proſpicit, quarto *poplitæa*, extus circa poſtica femoris repens, e junćto ramo femoralium utroque orta, & ad poſtica cuti ſuræ proſpiciens, uſque ad calcem, externumque malleolum; unde *calcaria vena* ipſi accedit, excurrens, quinta eſt: *vena ſuralis*, maxima tibiæ, quæ ſuperne quidem multas flexiones & miras implicationes experitur, *venasque gangrænoſas* efficit, permeat diviſa tibiæ cutem, & ſubjacentes muſculos, & juxta malleolum flectit ſe per latus pedis internum, properat verſus hallucem, ibique *Cephalicam* efficit,

efficit, ſexta denique *Major* eſt *externa* a convulſionibus nomen habens, permeat maximam partem ſuræ muſculos, deſcendit vero etiam juxta malleolum externum digitos verſus, & ſingulis duos dat ſurculos, ramulus etiam inde quaſi aſcendit, qui tibiam inter fibulamque deſinit, prope minimum digitum venam efficit, cui pariter ab epilepſia nomen vulgus dedit.

Ergo ſub cute capitis & colli duæ magnæ venæ in ſubclaviam ſuum infundunt ſanguinem, venæ jugulares, deinde axillares, ſanguinem e brachiis, partim & pectore, dorſoque revehentes, abdominis & inguinum cuti proſpicit e vena cava ipſa *epigaſtrica* externa, & alius ramus, qui magis aſcendit, & cum axillari deſcendente ſe conjungit, cutem autem poſticæ trunci partis, vel infimi dorſi perreptant ſurculi venarum lumbarium & muſcularium, denique cutem pedis percurrunt ramuli venarum femoralium deſcendentium; & harum quidem venarum haud paucæ operatione illa chirurgica, quam Phlebotomiam, aut venæſectionem vocant, aperiuntur, ut detrahatur ſanguis, vel ad minuendam copiam, vel infringendum certe nimium ejus impetum, id quod magnum ſæpe ſanitatis in ſubſidium fieri ſolet. Licet autem venæ hæ ubique in cute appareant, digitisque tangantur, neceſſe tamen eſt pro adminiſtranda Venæſectione, ut ligaturis, preſſionibus, frictionibus, macerationibus per aquam calidam in tumorem conſpicuum magis eleventur. Solent autem pertundi ut plurimum primo *vena frontalis*, vena in cavea pone aurem, vena ſupra eminentiam oſſis jugalis verſus angulum oculi minorem, vena naſi apicis, magnæ venæ ſub lingua, *raninæ* dictæ, venæ menti & labiorum, ſecundo magnæ *venæ jugulares*, tertio in brachio, ejusque flexura, *cephalica*, *baſilica*, *mediana*, quarto in manu ad pollicem, *ocularis* vel *cephalica manus*, ad minimum digitum: *ſalvatella*, quinto ad latus tibiæ utrumque *gangrænoſa interna* & *externa*, denique ſexto in pede, ad latus internum *Saphæna*, ad malleolum externum *vena tenſiva*, & ad hallucem *cephalica*, prope minimum autem digitum illa, quæ ab epilepſia nomen habet. Scarificationes cruentæ, quibus plures venæ ſimul pertunduntur, ſed minores tantum, admodum ſuperficiariæ, cutaneæ, variis fiunt in locis, in dorſo, ſcapulis, ſummis humeris, flexura cubiti, dorſo manus, genibus, ſuris, tarſo, pedis dorſo. Patet vero etiam ex hac Phlebologia, vel venarum hiſtoria, quod, quantum ad Venæſectiones attinet, non tanti æſtimanda ſit electio venarum, neque tantum interſit differentiæ, ſive brachii, ſive pedis venam aperias, ratione ipſius effectus, quemadmodum falſo ſibi perſuadebant Veteres, multo minus, an hæc brachii, pediſve vena ſecetur, aperitur autem pleniſſima, quæ maxime turget, proptereaque commodiſſime omnium ſecari poteſt; id autem obſervatu jucundum, ſcituque Medico utile non minus ac neceſſarium eſt, quod Natura intus in venis multis in locis, ut obicem refluxuro cruori poneret, pelliculas iis ſimiles, quæ in corde reperiuntur, ex omni venarum ambitu enaſci juſſerit, quæ ultra dimidiam diametri aut luminis venarum partem quaſi claudunt contra relapſurum cruorem, & verbi cauſa in brachio ad Venæſectionem ligatura præparato monticulos, vel nodulos elevant, ſunt hæ ipſæ celebres *venarum valvulæ*, præterea vero Natura multas admiſit conjunctiones, inoſculationes, anaſtomoſes venarum tam inter ſe mutuas, quam etiam cum arteriis, & vaſis lymphaticis, arterias tamen Natura in tutum condidit locum, & venis a potiori ſubjecit, excepta regione ſacri oſſis, utpote paucis munita carnibus, quare hujus duritiem effugiſſe quaſi videntur, (ſunt enim arteriarum functiones multo præſtantiores officiis venarum,) exempla harum anaſtomoſium frequentia occurrunt per faciem, per brachium teſte mediana vena, per muſculos abdominis rectos, imo & quandoque ſuperiores junguntur inferioribus, uti videmus in capite atque pectore, interdum interiores nubunt exterioribus, & vice verſa, quod apparet in mammariis, atque ſic porro.

Jam vero ad *Arterias*, ſunt hæ partes uniformes, albæ, cylindricæ, aut conoideæ, oblongæ, cavæ, paucum a potiori poſt mortem ſanguinem continentes, pulſantes in vivis, robuſtæ, compoſitæque tribus ad minimum robuſtis e *membranis*, earum extima denſa, ſtipata *celluloſa* tela eſt, ſub ea *muſcularis*, denſa ſatis hæret, ſequitur hanc tenax, alba, *tendinea*, *nervea* etiam aliis dicta, quæ intus polita prorſus eſt, & lubrica; ope autem illius muſcularis arteriæ ſe movent, contrahunt, alternis vicibus elevantur, ſubſident, *pulſant*, ſicque ſanguinem nobiliorem a corde, cui ſunt implantatæ, receptum, propellunt, ſuaque magis perficiunt & elaborant efficacia, tandem vero per extrema ſua dimittunt, ut partes animet omnes, & nutriat etiam minimas; ergo a venis non modo ratione ſtructuræ differunt, ſed & maxime ratione motus & functionis. Miro autem has artificio Natura occultavit arterias, ut nullibi ſub cute tangantur facile, niſi ad tempora, carpos, & prope malleolum externum ad minimum pedis digitum, omnes eduxit e corde, tanquam primario vitæ fonte; Præcipuus arteriarum harum truncus e dextro prodit cordis ventriculo, eſtque *arteria pulmonalis*, quam Veteres *Venam arterioſam* vocavere, quoniam proxime receptum e vena cava & infuſum cordi venoſum cruorem ad pulmones ducit, per eos enim infinitis diſtribui-

tur ramis, per quos omnes agi ſanguis ille debet, ante autem homo quam in lucem editur, ſanguinis aliquid, prius ipſos quam ſalutet pulmones, decedit per illum ſic dictum *canalem arterioſum* pulmonalem arteriam, aortamque modo deſcenſuram intercedentem, & in utramque patulum, in fœtu pervium, in adultis autem clauſum, collapſum, coalitum, ne ſcilicet in embryone, qui ſuos nondum reſpirando extendere pulmones poteſt, ſanguis ille omnis e funiculo umbilicali per cavam influens cordi pulmones obruat ſemel atque ſimul. Alter præcipuus arteriarum truncus eſt: *Arteria magna*, vel *Aorta* e ſiniſtro cordis ventriculo educta; prouti ergo hepar colligit radices omnes & truncos venæ portæ, cavæque, ita cor principium eſt arteriæ pulmonalis, & aortæ; hæc arteria magna, proxime ac egreſſa eſt corde, proſequitur venas, & venoſum ſyſtema (paucioribus quidem ramis,) per totum comitatur corpus, emittit autem proxime ad cor *coronariam arteriam*, quandoque duplicem, cum ramulis multis per ſuperficiem cordis propendentibus, mox autem divaricatur in duos magnos truncos; quorum alter brevior ſurſum aſcendit, alter major, longior titulo *aortæ deſcendentis* per truncum deſcendit. Ubi vero *aſcendens* ille *aortæ truncus* arcum format, ea portione fere horizontali, quam *Loweri truncum innominatum* appellant, tres notabiles minores arteriarum truncos emittit, *arterias* duas *ſubclavias*, & *carotidem ſiniſtram* inter priores mediam, illarum ſubclaviarum utraque utrinque reddit *vertebralem*, quæ intra foramina transverſis inſculpta vertebrarum apophyſibus aſcendit ad cerebrum, reflectitque ſpinalem, ante autem, quam cranii ollam ſubit, miras ambages patitur, & intra eam jungitur utraque carotidibus in unam, communem arteriam, quæ *cervicalis* audit, ita properat ad glandulam cerebri pituitariam, ubi multos in ramos dividitur per meninges cerebri, ejuſque ipſam ſubſtantiam diſtributos, ita, ut etiam in ventriculis cerebri ſurculis ſuis minimis *arterioſæ choroidei plexus* partis aliquid efficiat; verum etiam deorſum quaſi ex iisdem ſubclaviis oriuntur *coſtales*, vel *intercoſtales ſuperiores*, quæ tribus, vel quatuor ſuperioribus coſtis proſpiciunt, & ad ſpinalem excurrunt medullam, ſurſum vero ab iis aſcendunt præter vertebrales, nominatas, *arteriæ mammariæ*, quæ ſub ſterno excurrunt rectos verſus abdominis muſculos, atque obviis ibi arteriis epigaſtricis conjunguntur, tertio prodit e ſubclaviis his *muſcularis*, quæ poſticis colli, brachiique muſculis proſpicit, quarto tandem e ſubclavia dextra oritur *carotis dextra*, quæ ad ſimilitudinem ſiniſtræ per latus laryngis aſſurgens, magna valde, poſtea comitatur venam jugularem, perreptatque profundiſſima faciei & oris, omnibusque partibus capitis externis ramos impertitur *carotidis externæ* nomine, quod mutat in titulum *carotidis internæ*, ubi cranium per ſingulare oſſis petroſi foramen equinam prope ſellam ſubit, tum diſtribuitur per meninges & ſubſtantiam cerebri, concurrit etiam ad *circulum cerebri Ridleianum*, arteriam cervicalem, & portionem choroidei plexus arterioſam. Ubi vero ipſe ſubclaviarum truncus pectoris cavo ſuperato prorſus ad latus reflectitur, excurrit per brachium, *arteriæ axillaris* nomine, quæ deorſum emittit ramum ad muſculum pectoralem anticum, alium ad poſticum, tertium, *internam ſcapularem arteriam*, quæ muſculis oſſi ſcapulæ ſubjectis proſpicit, ſurſum vero emittit *brachialem arteriam*, quæ ſurculis ad muſculos humeri, ſcapulæque projectis ad flexuram cubiti uno plerumque trunco deſcendit, e quo hic & ibi brachii muſculi ramos accipiunt, ſub cubito autem finditur in duos palmarios ramos, quorum alter ad latus internum brachii *radialis*, aut *radiæa arteriæ* nomine, in qua prope carpum explorari pulſus ſolet, alter *arteria cubitæa* dictus ad latus externum; profundiusque ſitus deſcendit, uterque hoc in itinere in profunda notabiles emittit ramos duos, quorum infimus profundiſſimus ipſi perioſteo proſpicit, (magna horum eſt ratio habenda in vulneribus cæſim, punctimve inflictis,) uterque ad profunda ipſius volæ penetrat, ramulos ad ſingulos digitos emittit, plurimisque ſurculis in vola manus quaſi terminatur, in ſpecie autem radialis. *Deſcendens Aortæ truncus* decurrit juxta ſpinam dorſi, elapſus ſub diaphragmate ad vertebras uſque lumborum, ad latus paululum reclinatus ſiniſtrum, maxime ad partem infimam; ab hoc trunco rami oriuntur, qui juxta ramos venæ portæ, Cavæque decurrunt, juxta ipſam Venam Cavam emergunt ex hoc trunco, *arteriæ intercoſtales*, quæ ad intervalla octo inferiorum coſtarum, proximosque muſculos excurrunt; ſecundo ramulus, qui ad diaphragma & pericardium emigrat, tertio: *emulgentes*, *renales arteriæ*, quæ per omnem renum ſubſtantiam diſtribuuntur, quarto: *arteriæ ſpermaticæ*, quæ complicatæ ſpermaticis venis, ex abdomine prodeuntes comites accipiunt peritonæi proceſſus, quibuſcum ad ſcrotum, teſticulosque deſcendunt; quinto: denique *lumbares arteriæ* plures, quæ ad muſculos lumbis aſſidentes tendunt, quin etiam per foramina vertebrarum ad ſpinæ medullam penetrant, quin & quandoque ad latera ſpinalium, quas vertebrales reflectunt, ramis nubunt, ſicque ipſo cum cerebro commercium habent, & has quidem quinque arterias utrumque latus a potiori æquales habet. Prope portæ venam, ejusque ramos oriuntur ex aortæ trunco: *arteria* illa magna *ventralis*, vel *cœliaca*, quæ nullam parem habet, ſecundo:

arte-

arteriæ duæ meſentericæ, *ſuperior*, & *inferior*, *cœliaca* dextro quidem ſuo ramo minore ſurſum emittit primo *arteriam gaſtricam dextram* ad orificium ventriculi dextrum excurrentem, deinde autem *duas arteriolas cyſticas* ad veſiculam felleam; deorſum autem ex eadem *cœliaca* prorepunt: *arteria omentalis*, vel *epiploica dextra*, quæ ad infimam omenti partem, & colon etiam inteſtinum deſcendit; ſecundo *arteria duodenalis* ad inteſtinum duodenum; tertio *arteria dextra gaſtro-epiploica* ad fundum dextri ventriculi lateris. Ramus *arteriæ* hujus *cœliacæ* ſiniſter, *arteria* eſt *ſplenica*, *lienalis*, quæ per pancreas ad lienem excurrit, quem antequam aſſecuta eſt, ſurſum dimittit magnam *arteriam gaſtricam ſiniſtram* ad ventriculum, cujus ramulus orificium ſiniſtrum coronæ inſtar ambit, & *gaſtricam ſiniſtram* minorem ad ductum cholidochum excurrentem, deorſum autem eadem ſplenicæ emittit *arteriam epiploicam poſticam* bifidam, ad colum & omentum evagantem, & *omentalem arteriam ſiniſtram* per ſolum diſtributam epiploon, reliqua pars lieni tum impenditur ſoli, & per eum infinitis diſtribuitur ramis, ſed præterea integer ſplenicæ truncus dimittit etiam *arteriam gaſtro-epiploicam ſiniſtram*, quæ ventriculo præcipue inſervit, & *arteriam ſplenico-gaſtricam*, *brevem*, quæ ſupra ſiniſtrum latus ventriculo implantatur.

Binæ autem *arteriæ meſentericæ*, vel *meſeraicæ* innumeris per abdomen & inteſtina ramis evagantur, & *ſuperior* quidem *meſenterica* in ſpecie proſpicit meſenterio, inteſtinis tenuibus omnibus, colique principio, *inferior* portioni coli reliquæ ſervit, & inteſtino recto, juxta quod ejus ramulus cum hæmorrhoidalibus uſque ad anum prorepit nomine *hæmorrhoidalis internæ*. Ut vero redeamus ad ipſum *Aortæ deſcendentem truncum*, poſtquam is omnem trunci longitudinem ad initium uſque ſacri oſſis emenſus eſt, ibi ſuperat & ſcandit ſuper Venam cavam, & in duos magnos divaricatur ramos, novos arteriarum truncos minores, *arterias* vocant *iliacas*, quæ ſub ipſo deſcenſu per ſacrum os *arterias* emittunt *ſacras*, foramina oſſis ipſa ſubeuntes. Ramorum horum, ſeu novorum truncorum uterque dividitur denuo in *externum* & *internum*, hic emittit primo *muſcularem arteriam*, prorepentem ad muſculos, qui ſuperficiei aſſident internæ oſſis ilei, coxæque, deinde ad intima *hypogaſtricam arteriam*, quæ partibus pelvi contentis, utero in feminis, veſicæ urinariæ, inteſtino recto, reliquisque proſpicit; *ramus* autem *externus* originem dat *arteriis pudendis*, quæ in viris thalamos cavernoſorum, ſeu ſpongioſorum penis corporum petunt, & his pro ejus erectione ſanguinem infundunt arterioſum ab oeſtro ſpumantem venereo; ſecundo emittit idem ramus externus *arterias epigaſtricas*, quæ ad muſculos abdominis, maxime rectos, aſcendunt, ubi circa umbilici regionem mammariæ arteriæ obviam ipſis veniunt, & anaſtomoſin cum iisdem ſubeunt; tertio: *arterias umbilicales*, ad umbilicum excurrentes, per quos, in fœtu pervias, fluit ſanguis, in adulto autem nihil tranſit, poſtquam enim cicatrice umbilicus occalluit, ſenſim & ſenſim occluduntur in totum, videnturque ligamenta eſſe veſicæ urinariæ. Dum vero idem ramus vel truncus externus, major, magis & magis deſcendit per femur, nomine *arteriæ cruralis* cum ſuis ramis comites accipit venas crurales, & cum his per omnem diſtribuitur pedem, emittit autem hoc in itinere ſuo primo: *arteriam femoris muſcularem*, quæ ramo ſuo externo anticos femoris muſculos, interno muſculos ejusdem internos permeat, ſecundo: *arteriam poplitæam*, quæ cruris muſculis proſpicit, tertio: *ſuralem arteriam*, quæ ad genu ſurarumque cutem ſuos ſpargit ramos, quarto: *Tibialem arteriam*, hæc ramo ſuo majore decurrit ad exteriora juxta fibulam deorſum, ſed interno muſculis tibiæ accumbentibus proſpicit, reliquus ejus truncus excurrit per omnem extremum pedem, ramulosque ſpargit in itinere multos partim ad muſculos tibiæ circumjacentes, partim ad tarſum, ſed maximus ramus juxta malleolum internum prorepit in plantam pedis, nomine *arteriæ plantaris*, quæ mox in multos finditur ramos, a quibus ad ſingulos pedum digitos prorepunt arterioſi ſurculi.

Agendum nunc eſſet, dicendumque de *Nervis*, quoniam vero hi prodeunt e medulla cerebri & cerebelli, nec non medulla ſpinali, & per foramina calvariæ, atque ſpinæ dorſi vertebrarum elabi debent, itaque præmittemus hiſtoriam oſſium, huicque ſubnectemus Neurologiam, ſive tractationem de Nervis.

CAPUT IV.

De partibus uniformibus, quæ totum corpus, omnesque partes ejus mobiles reddunt, & fulciunt.

Ossa, quorum Syntaxis a capite ad calcem usque unum quasi continuum corpus aridum refert, suffulciunt corpus, & firmant, ut columnam unam quasi, erectam repræsentare possit, sunt vero partes, exceptis dentibus, durissimæ, sicciſſimæ, frigidissimæ, uniformes, maxime quidem e terrestribus atomis per virtutem conflatæ plasticam, partim epiphysibus ornatæ, partim apophysibus, continuisque prorsus eminentiis, aptæ, quæ ope suarum extremitatum, singulariter exasciatarum, exacte sibi mutuo conjungantur, mobilibus tamen juncturis, aut laxius cohæreant, prout necesse fuit, aut etiam firmissima coagmentatione, motum recusante omnem, sibimet invicem uniantur. Ita quandoque per sola ligamenta cohærent, quam unionem proprie *syndesmosin*, alii *syntenosin*, aut etiam *synneurosin* vocant, interdum per simplices nectuntur membranas, quem unionis modum *synymensim* appellant, sæpe cohærent per carnes, exemplo scapularum, dicunt: *Syssarcosin*, modo etiam portiuncula quasi ossis majori saltem insidet ossi cartilagine intercedente, vocant portionem talem: *epiphysin*, *appendicem*, hæ autem epiphyses quandoque, ossescente omnino interjecta cartilagine prorsus continuæ apparenter fiunt, coctione autem secedunt ab osse prominentes hæ in extremis præcipue partes, vocant: *apophyses*, quo alias nomine veniunt omnes ossium notabiles eminentiæ, monticulique, modo serratim coadaptantur, cum *symphysi*, aut *concretione* ut denticuli marginis unius ossis immergantur intervallis denticulorum alterius ossis, & vice versa, exemplo futurarum cranii, modo leviter quasi adglutinantur tantum sibimet invicem, & unionis vestigium per lineam exprimunt, quæ *harmonia*, vel *futura harmonialis* dicitur, frequentissime autem integra ossa suis extremitatibus connectuntur sic, ut moveri ad se invicem possint, connexio hæc Græcis: *Arthroos*, Latinis *articulatio*, *junctura* dicitur, & si manifesta hæc sit cum exercitio notabilis motus, *Diarthrosis* audit, si obscurior, *Synarthrosis*, ubi profundus est articulus, *Enarthrosis* nomen habet, exemplo junctura femoris ossis cum ischii acetabulo, si contra levis, & superficiarius fit contactus mutuus, *Arthrodia* dicitur, uterque tamen cohæsionis modus magnam admittit applicati ossis flexionem & extensionem, si ossa sibi mutuo sic adaptentur, ut multis acutis monticulis respondentibus profundis sinibus alterius applicentur sibi mutuo & exactissime apponantur, vocatur: *ginglymus*, qui præsertim in vertebris occurrit, cum eo multum convenit *amphiarthrosis*, ubi eadem quidem ratione, sed paucioribus discretis superficiebus applicantur sibimet invicem, exemplo articulationis radii cum ulna, quando ginglymus admittit rotationem unius ossis super altero, vocant: *Trochoidem ginglymum*, exemplo articulationis primæ colli vertebræ cum secunda; quandoque plures articulationum modos Natura combinat, quod ubi fit, nomina etiam articulationum componunt Anatomici, expressuri omnem earum rationem.

Os capitis, vel *Calvaria*, sive *Cranium*, fornix fere subrotundus *octo* habet *ossa*, crassitie inæqualia, quæ variis in locis disjungi possunt, & concava sunt subtus, per *futuras*, quas efficiunt extremi concurrentium & occurrentium sibimet invicem ossium margines denticulati ad modum serræ, conglutinata, neque tamen ab his inæqualem, sed politam superficiem exhibentia, utcunque per has distincta futuras. Est autem eorum primum *os frontis*, quasi segmentum sphæræ, quod occupat cranii partem anticam, vel facili supremam, quandoque leniter fissum adhuc, ubi *futura sagittalis*, quemadmodum in capitibus cruciatis proprie sic dictis ad nasum usque descendit & continuatur; alias autem distinguit se a parte quidem inferiore per futuras ipsum inter & os sphænoides, ethmoideum, & maxillare intercedentes, superne autem a binis *ossibus verticis*, vel *parietalibus*, quæ secundum & tertium cranii os constituunt, in medio quidem per futuram sagittalem divisum, a lateribus autem anticis per *futuram coronalem*, quam admoti parietalium antici margines arcuati ad posticum frontis ossis efficiunt, ab osse occipitis separantur hæc per *futuram lambdoideam ossa bregmatis, verticis, syncipitis, parietalia* in parte scilicet postica, & sunt quidem ea pene quadrangula, terminata dein ad infima laterum ad *spurias* illas ossium squamosorum *futuras*; solent autem hæc ossa verticis in ipso vertice vel proprie loquendo, ubi futura sagittalis definit ad marginem ossis frontis medium, area satis lata, intercedente robusta tantum polita membrana cohærere in recens natis infantibus cum osse frontis, ut facile ibi molle premi cerebrum, tangensque digitus distinguere pulsantes subtus arterias possit, quare locus ille tum vocatur:

Folium,

Folium, *pulſans os*, *fontanella*, *fonticulus*, qui autem denique prorſus occalleſcit, & oſſeam induit duritiem. Quartum cranii os eſt poſticum, *os occipitis*, duplex ſuperne, quadrangulo rhomboidi ſimile, *lambdoidea* circumſcriptum *ſutura*, habet hoc quatuor *foſſas*, duas *apophyſes condyloideas*, & *quinque foramina*, quorum per maximum medulla nervorum, quæ ſpinalis eſt, ex oblongata cerebri nata elabitur in ſpecum vertebrarum ſpinæ dorſi demiſſa, reliqua transmittunt vaſa neceſſaria, ſanguinea, & alia. Quintum & ſextum cranii os conſtituunt *oſſa temporum*, vel *petroſa*, utraque ad latus capitis ſupra & ad aurem ſita, dimittunt hæc *apophyſin Zygomaticam*, concurrentem ad jugum, aliam leniter acutam, tendentem ad os ethmoides, ſive cribroſum verſus naſum; imo maxime notabilis eſt *proceſſus mammillaris*, in quem inferiora verſus abit pars mammillaris totius oſſis, *ſquamoſæ* ſuperioris parti continuata poſteriori, baſi latior is eſt, & ab ea deorſum verſus ſimul, & modice in priora procedens, gracileſcensque, cavernoſus intus auditus tympanum auget, tertia dein apophyſis *Hyliformis* audit, excipiens & firmans ligamenta vel oſſicula oſſis hyoidis, ea gracilis, procera, ſolida emigrat ab oſſe petroſo, non longule a proceſſu mammillari, priora verſus demiſſa, quarto denique longa eſt, aſperrima extus, & præ-rupta protuberantia, vel *apophyſis petroſa*, rectius pars temporum oſſis petroſa dicenda, intrinſecus a fundo calvariæ intra cavum ejus, altius inter oſſa, occipitis, ſquamoſum, & cuneiforme aſſurgens, acuta longitudine, inſigniter craſſa, oblonga, duriſſima, in priora & interiora oblique procedens, & interſerens ſe inter occipitis os, & ſquamoſum, & cuneiforme, iisdemque leviter connexa, mirifice aptata recipiendis præcipuis oſſeis auditus inſtrumentis, oſſiculis auditus quatuor, tympano, cochleæ, labyrintho; Septimum cranii os efficit *os cuneiforme*, *ſphænoides*, *baſilare*, *polymorphum* aut *multiforme* dictum, quod notabiles duas apophyſes extus habet, quæ alas veſpertilionum referunt, unde *proceſſus alares*, vel *pterygoidei* audiunt, reliquæ autem quatuor *apophyſes glenoideæ*, internæ in baſi cranii formant *Sellam equinam*, habet etiam hoc os duos *ſinus*, quos *ſphænoideos* vocant, in iis mucus congeritur, & ſecernitur, qui patens ſatis magnum ellipticum per foramen in nares excernitur; Octavum cranii *os* eſt *cribroſum*, *ethmoides*, *cribriforme*, quoniam foraminibus pertuſum eſt multis, inſtar ſpongiæ, cribri, aut pyxidis arenariæ, dividitur autem in medio per acutum aſſurgentem, triangularem fere proceſſum, qui *criſta galli* eſt, interjectum eſt binis parvis laminis, quibus conſtituitur, medio laminarum oſſis frontis aſperarum, quæ ſunt intus in baſi cranii, ſubtus ab eo pendent in nares *oſſa ſpongioſa*, ſive *turbinata*, quæ narium omne fere cavum explent. Hæc octo cranii oſſa ollam efficiunt oſſeam fere globoſam, maximæ ampliſſimæque cavitatis, quæ ſummo *vertebrarum dorſi ſpinæ* inſidet, quarum *triginta* numerare ſolent, ſed figuræ diverſæ, omnes autem ſuas habent apophyſes, & ſua foramina, & inter apophyſes quidem priores, anticæ maximæ ſunt, e foraminibus media ſunt ampliſſima, ſingulas autem vertebras, vel potius earum corpora cartilago intercedit, vel maſſa potius cartilagini ſimilis, *chondroidea*, tenax, filamentoſa, ſingulæ ſingulis alligantur per ligamenta, faſciasque tenaces, extremo autem fini, quem efficit *ſacrum os*, ad infima tenue, cedens quodammodo *coccygis os* adhæret, quod tria vel quatuor componunt oſſicula. Intra ollam vero cranii, ſpecumque vertebrarum e mediis illis foraminibus natum concluſa eſt *medulla*, quæ *nervis* originem dat, & cranium quidem, ſive calvaria condit, munitque *cerebrum* & *cerebellum* galeæ inſtar, a parte autem infima & poſtica ex hoc utroque *medulla* oritur *oblongata*, ejusdem cum cerebro ſubſtantiæ, ſed paulo ſolidior, nucleo in medio, pia matre diviſo, utrinque cavo manente. Continuata hæc oblongata medulla ubi deſcendit intra vertebrarum ſpecum, *ſpinalis medullæ* nomen induit, quam adeoque coërcent & includunt vertebræ dorſi, ab ea emigrant nervi omnes, qui ad corpus excurrunt ſub capite, motibusque ſerviunt præcipue voluntariis, deſcendit autem columna hæc medullaris per continuum illum canalem, ſive tubum, ampliorem columnæ diametro, quem reſpondentia ſibi ex aſſe ſingularum vertebrarum foramina efficiunt media. Nervi autem, licet cavitates non habeant ſenſibusque demonſtrabiles externis, haud tamen immerito ſupponuntur eſſe vaſcula cylindrica, intus medullaria, extus vero membranacea, quoniam e matribus cerebri vaginas habent circumjectas, ad penetralia partium, quo proſequi uſque licet, eos comitantia, ceterum partes ſunt uniformes, deſtinatæ potiſſimum projiciendo *liquido nerveo*, ſive ducendis *ſpiritibus animalibus*, ut vocant, a cerebro, medulla oblongata, & ſpinali ad ſenſuum organa, & motus inſtrumenta, ita certe ſuſpicari varia jubent hactenus experimenta; probe autem diſtinguendi ſunt ab iis partibus, quibus vulgi ſex nervorum, aut nervoſarum partium imponit nomen, ut tendinibus muſculorum, ligamentis oſſium, membranis vaſorum, inteſtinorum, urinaria veſica, utero, quæ nervoſæ partes appellari quandoque conſueverunt.

Ab hac vero *medulla oblongata* oriuntur adhuc intra cranium *novem* vel *decem nervorum paria*, primum eorum conſtituunt *nervi olfactorii*,

qui per foramina ossis cribrosi elabuntur, nec proprie deserunt cranii ollam, tenui tantum unica obducti pellicula, moxque nares petentes, præcipue autem olfactus sensui serviunt, secundum par efficiunt *Nervi Optici*, densi satis & crassi, qui ab ortu quidem suo equinam ante sellam conjuncti sunt, medullamque communem habent, mox vero iterum disjunguntur, & per foramen ellipticum cranii intrant *orbitam oculi*, cujus medio fere puncto implantantur, & intra quem ejus *retinam* constituunt *tunicam*, par tertium efficiunt *oculos motorii nervi*, minores, verum paulo duriores sensoriis, hi elapsi per *foramen cranii lacerum*, inæquale, orbitam ingrediuntur, & prope illam in sex dividuntur ramos, quorum alius in homine ad elevatorem palpebræ, alius ad oculi bulbi elevatorem, alius ad ejusdem depressorem, alius ad adducentem, alius ad musculum obliquum inferiorem abit, alius denique ipsis impenditur oculi tunicis; quartum par tenuissimi *nervi pathetici* faciunt, qui per idem foramen lacerum orbitam subeunt, & solum dein musculum adeunt trochlearem oculi; quintum par insignes admodum *Gustatorii nervi* constituunt, mox sub dura matre in tres satis adhuc magnos divisi ramos, quorum primus per foramen egreditur lacerum, alter per foramen cranii quartum, tertiusque per quintum, primus eorum ramorum *ophthalmicus* dicitur, ad varias oculi partes, musculosas & cutaneas, musculos frontis & faciei, & faciei tegumenta distributus, alter *maxillaris* dicitur *superior*, per omnes diffusus fere maxillæ superiores partes, ut labia, nasum, palatum, uvulam, gingivas, dentesque, reflectit etiam ramulum ad aurem, qui ramulo septimi paris nuptus nerveam *tympani chordam* efficit, imo & unus & alter præterea ex eo surculus intra cranium prodit, qui cum ramulo sexti paris quandoque ad nobilem illum *Intercostalem Nervum* concurrit, tertius nomen habet: rami *maxillaris inferioris*, quoniam præsertim partibus inferioris maxillæ, dentibus & maxime quoque linguæ servit, unde ab hoc ramo totum par gustatorii nomen accepit, quamvis adhuc sub judice lis pendeat: num certo sensui gustus famuletur? Sextum par proxime ad quintum enatum, est utrinque *nervus abducens*, quoniam ejus portio magna solum ad musculum oculi abducentem excurrit, sed emittit etiam ramulum, qui sæpe solus, sæpe mixtus cum surculo rami secundi prioris paris *intercostalis nervi* radicem constituit, sic enim ea delapsa per canalem internæ carotidis descendit juxta octavum nervorum par per collum, & juxta dorsi spinam per thoracem & abdomen usque ad pelvim, ubique ramulos ex ipsa colligens medulla spinali accedentes, varioque sic format intercostalis hic plexus, diversa ganglia variis in locis, ramosque dat partibus fere omnibus in collo, thorace atque abdomine contentis, unde mirus nascitur partium plurimarum totius corporis & singularis externarum & internarum consensus. Par septimum est *Auditorium*, id truncis oritur duobus distinctis, quorum alter *portio dura*, & alter *mollis* dicitur, hæc petrosi ossis foramen ingressa, varia per foraminula intimam auris cameram, *Labyrinthum* adit, per omnes ejus recessus distribuitur, ibidemque primariam organi auditus partem efficit, dura vero portio, *Fallopii aquæductum* transiens reflectit haud raro ramulum unum, pluresve, in cranii caveam e facie petrosi processus anteriore, qui sub dura matre ad receptacula & alias partes excurrit, alius autem tenacioris hujus nerveæ portionis ramus cum ramulo rami secundi quinti paris intus ad *tympani chordam* concurrit, & sic aliæ minores fibrillæ ad musculos, reliquasque tympani partes excurrunt, portio reliqua emigrat ad aurem externam, pericranium, ossis hyoidis musculos, labia, palpebras & parotides, imo & quandoque longus inde surculus descendit per brachium, & pedem; Octavum par maximum, juxta laterales duræ matris sinus cranio egreditur cum *spinali accessorio Willisii*, dicturque *Par Vagum*, hoc maximum est, omnium longissime diffusum & amplissime, totum enim fere pervadit corpus, & cranium quam primum deserit, ramulos emittit ad musculos colli, descendit autem dein cum carotidibus & jugularibus, communi tunica concluſis, ad latera tracheæ deorsum, per thoracem, intra quem oesophago adhæret, ad abdomen, prope claviculas autem in tres dirimitur ramos, quorum alter in dextro latere arteriam axillarem, in sinistro latere aortæ truncum multis divisis surculis ambit, qui surculi conjuncti sursum redeunt, & ita reflexi *nervos* constituunt *recurrentes*, fit hæc reflexio ad laryngem e suprema thoracis parte, suntque hi recurrentes nervi præcipui *nervi vocales*, ab iis autem surculi musculis laryngis, ossisque hyoidis implantantur, descendens, id est, alter magnus ramus, postquam in descensu ramos dedit laryngi, pharyngi, cordi, pulmonique; maxime ad ventriculum excurrit, ejusque sinistrum orificium, quod *cardiam* vocant, coronæ instar ambit nomine *nervi*, seu *plexus gastrici*, præterea vero ad modum rami tertii suo illo in itinere tam in collo, ac thorace, quam in abdomine, plexibus variis implicatur pari sequenti, nervo intercostali, nervisque cervicalibus; tertius denique octavi hujus paris ramus *Nervus* est *costalis*, qui per diaphragma penetrat, & in abdomine partim per omentum, partim & mesenterium & intestina distribuitur, quin & renibus prospicit, adeoque toti servit infimo ventri; Nonum denique

nique par eſt *Linguale*, ſatis forte, quod proxime ad finem oblongatæ medullæ oritur, & per undecimum cranii foramen obliquum juxta occipitis oſſis oras calvaria elabitur, in progreſſu quandoque ſuo miſcet ſe cum pare priore, præcipue autem ad linguam abit, & quosdam laryngis muſculos, quare plerique crediderunt: eſſe *linguæ motorium*, contradicunt autem alii, opinantes: eſſe *proprium guſtatorium* par; Williſius addit his novem paribus *decimum cerebri par*, quod autem alii exiſtimant: eſſe primum colli, vocant: *cervicale*, certe oritur adhuc intra cranii ollam, & per magnum occipitis oſſis foramen deſcendit ad integumenta, muſculosque occipitis & colli.

Sed *medulla ſpinalis*, oblongatæ continuatio, *triginta* emittit notabiles *nervos*, qui a potiori voluntariis famulantur motibus, paucis exceptis, qui ad latera evadunt e ſpecu vertebrarum, intra quem plurimas diviſi ſunt in fibrillas, & *octo* quidem ſunt *colli* ſeu *cervicis paria*, quæ ramulos innumeros per muſculos faciei, capitis, colli, auris, ſcapulæ, humerique ſpargunt, in ſpecie autem ramus aſcendit ad aurem a pare tertio, ab eo autem ſimul, nec non quarto, quinto, ſexto & ſeptimo *nervus* oritur *diaphragmaticus*, vel *phrenicus*, qui per collum & thoracem, intra quem pericardio adhæret, deſcendit ad ſeptum transverſum, & inde ſurculos ad inferiorem venæ cavæ truncum emittit, ſextum par cum ſeptimo, & octavo, primoque dorſalium junctum *nervos* conſtituit *ſex brachiales*, robuſtos, qui comites vaſorum ſanguineorum excurrunt ad ſcapulas, & omne brachium ad extremas uſque manus, & earum digitos. Addunt autem aliqui, tanquam nonum nervorum colli par, *Nervum ſpinalem*, vel *acceſſorium Williſii*, qui circa tertium, quartumve colli par e parte ſpinalis medullæ poſteriore ortus, per foramen occipitis magnum aſcendit in cranium, deinde vago pari nuptus, & idem per foramen e cranio regreſſus, ab eo vago ſe iterum ſeparat, & reflectitur ad muſculum ſcapulæ cucullarem, ſive trapezium.

Dorſi nervorum duodecim numerantur *paria*, hæc ramum, ut proxime fuit monitum, dant brachialibus, proprie autem ſunt *nervi coſtales*, vel *intercoſtales*, juxta tractum enim coſtarum excurrunt in marginali earundem ſulco cum vaſis ſanguineis, ramosque ſpargunt ad muſculos intercoſtales, pectorales, abdominales, mammas, aliasque partes thoracem ambientes.

Lumborum quinque numerant *paria*, illi autem nervi non lumbis tantum proſpiciunt, ſed & peritonæo, integumentis, muſculisque abdominis, imo eorum primum par utrinque ſurculum etiam impertitur *diaphragmati*, deinde par ſecundum confluens cum ramis paris primi, tertii, quartique, *nervum* reddit *cruralem*, qui per anteriora femoris diffunditur. Alius deinde ramus e pare ſecundo, tertio & quarto compoſitus tranſit per magnum oſſis pubis foramen ad *ſcrotum*, *teſtes*, partesque vicinas. Maxime vero inſignis *nervus* eſt *iſchiaticus* dictus, vel *cruralis poſterior*, maximus certe totius corporis, lato ſimilis, robuſtoque tendini, hic e pare quarto & quinto lumbarium, concurrente cum primo, ſecundo, tertio & quarto ſacri oſſis componitur, egreſſus pelvi glutæos inter muſculos, in parte femoris poſteriore, duo inter capitula ejus inferiora deſcendit, omnemque per *tibiam* & *pedem* ad *digitos* uſque diſtribuitur, ante vero pelvim quam deſerit, ſurculos dimittit ad *urinariam veſicam*, *rectum inteſtinum*, *partes genitales*, muſculosque vicinos.

Sacrum os quinque nervorum paria habet, ſed, ubi jam integra ſpinalis medulla per ultimam lumborum vertebram elapſa eſt, in multa quaſi finditur filamenta, unde hunc finem *caudam* vocant *equinam*, alii ſex oſſi ſacro adſcribunt nervorum paria, eorum priora quatuor cum quibusdam lumbaribus, ut proxime indicavi, *nervum* efficiunt *iſchiaticum*, reliqua ſerviunt partibus in *pelvi* ſitis, *veſicæ urinariæ*, *inteſtino recto*, *utero* in feminis, *partibus genitalibus* utriusque ſexus *internis*, aliisque vicinis; per foramina oſſis hujus poſteriora, licet ſatis magna, nullus evadit notabilis nervus; & hi ſunt omnes medullæ ſpinalis nervi.

Sed redeamus ad oſſa; recenſui ſupra cranii oſſa, jam ad *Faciem:* habet hæc *os maxillæ ſuperioris*, & *inferioris*, ſuperior maxilla ex oſſibus componitur tredecim, ſex paribus, & uno impare, referunt ad paria ipſa *naſi oſſa*, quæ acutum, e faciei medio prominentem naſi gibbum oſſeum efficiunt, deinde propria *oſſa maxillaria*, quorum ampliſſima eſt extenſio, & circumſcriptio, hæc enim maximam continuam faciei oſſeæ partem conſtituunt, namque a parte ſuperiore ipſam oculi orbitam perficiunt, & orbitæ angulum interiorem, deinde ad latus naſi oſſium extremo ſuo longitudinali margine oras horum oſſium poſticas excipiunt laterales, eminentia *ſuperiori naſali*, quæ vocatur, quin etiam aliam intra nares apophyſin emittunt, quæ ſeptum naſi oſſeo-cartilagineum excipit, denique *palatinam*, quæ ad palatum quaſi reflectitur, & palati oſſei anticam partem ſuperiorem pone dentes efficit, maximam autem ejus portionem conſtituit & arcus ille omnis, qui ſub naſo eſt, in junioribus per medium diviſus, omnique labio ſuperiori ſubjacens, & pars illa concava, tumens, lateralis, priori continuata, cujus cavea, vel *ſinus*, *antrum Highmori* dictus, muci diverticulum eſt, ille vero mucus exoneratur patentem per portam ſinus in nares, extremus autem illius oſſei arcus margo multos habet, extus patentes profundosque

diſcre tos ſinus, qui dicuntur *alveoli dentium*, hi enim ipſis infixi ſunt firmiter, diciturque coadaptationis hic modus : *gomphoſis*, omni hac parte, qua & arcum hunc oſſeum, & lateralem tumorem oſſa maxillaria efficiunt, tenera, ſpongioſa ſunt, ſed illis portionibus poſticis, lateralibus innituntur quaſi *oſſa malæ*, aliis *jugalia*, ſeu *zygomatica* dicta, quibus mollis inſidet extus gena, vel mala, hæc irregularia, fere quadrangula ſunt, ſuaque portione ſuperiore ad modum ſegmenti arcus exaſciata maximam orbitæ arcus inferioris partem efficiunt, & fere orbitæ angulum, ſive canthum externum, oſſa ſatis dura, & fortia, deinde autem ab orbita quaſi retrorſum eunt, oblique tenuemque in apophyſin emigrant, quæ obviam it & oblique applicatur proceſſui currenti antrorſum ab oſſe ſquamoſo, ita duo hi proceſſus pone oculi orbitam efficiunt *jugum*, vel *Zygoma*, quartum par efficiunt *oſſa lachrymalia*, vel *oſſa unguis*, tenerrima, & pelluciditatem fere unguis digiti habentia, parva, oblonga, irregularia, & ad latus orbitæ internum proxime ad naſum margini maxillarium ſupremo impoſita, profundo longitudinali ad internum oculi angulum exarata ſulco, qui recipit membranaceum *lachrymalem ductum*, intra nares ducentem lachrymas, quintum par conſtituunt *oſſa palati*, per longitudinem ſibimet invicem applicata, plana, & extremo poſtico maxillarium margini, qui anticam ſuperioris palati partem efficit, (ibi via e naribus in fauces patet,) ſcite adglutinata, ſunt irregularia, utcunque quadrangula, extenduntur autem per nares ad orbitam uſque, nam extremo palati ſuperioris appoſita ſunt, varias habent apophyſes, excurrentes ad pterygoideos proceſſus, naſum, oculique orbitam, ſulco ſuo, quem in ſuperiore habent ſuperficie, vomeris os excipiunt, ſextum par conſtituunt *oſſa ſpongioſa inferiora*, vel *turbinata* dicta, parva, oblonga, vere ſpongioſa, poroſa, friabilia, quæ adhærent & pendent ex interiore maxillarium oſſium ſuperficie, naribus intus reſpondente, oſſibusque palatinis in cavo narium; accedit ſex his oſſium paribus *unum impar*, quod ob figuram *Vomer* dicitur, id ſuper medium interni palati poſitum infimam narium partem per medium diſtinguit tanquam erecta, triangularis columna.

Maxillam inferiorem per medium habent diviſam mentum infantes, & e duobus conſtantem oſſibus, interjecta cartilagine, qua in adultis deleta in unum coaleſcit os, habet hæc maxilla vel *mandibula inferior*, quemadmodum extremus ſuperioris arcus labio ſuperiori ſubjectus infixos ſibi clavorum ad inſtar dentes, qui dentibus maxillæ ſuperioris ita e directo ſunt oppoſiti, ut, cum alteram alteri applicamus manducaturi maxillam, exacte ſuis contigui ſibimet invicem fiant ſuperficiebus. *Dentes* autem ſunt oſſa duriſſima, ſingulari cortice polito, vitreo quaſi, egregie nitente, adamantinæ duritiei cincta, infixa firmiter alveolis, & illorum quoque margini ope membranarum, carniumque gingivalium, & vaſorum adnexa, perreptantur autem nervulis & vaſculis per imas aſcendentibus radices, dividuntur in maxilla utraque in *quatuor inciſores*, qui maxime mediam anticam partem occupant, in parte inferiore quodammodo latos, tenuesque, ſupra vero ad gingivas magis tumentes, craſſiores, ad extremum marginem extrorſum, interna parte introrſum incurvati quaſi, radice una, ſimplice, deinde *duos dentes caninos*, qui, quoniam in ſuperiore maxilla radicibus ſuis fere ad orbitas oculi pertingunt intra ſuos alveolos, *oculares* ibi dicuntur, ſinguli ad latus poſiti ſunt extremis inciſoriis, extus & intus acuminati ad ima, ſed in confiniis gingivæ lati & craſſi, unam pariter, ſimplicemque radicem habentes, longiores autem & fortiores reliquis dentibus, ad latera inciſoriis appoſiti, & proxime lambentes vaginam oſſeam alveolarem molarium, tertium enim dentium ordinem conſtituunt *molares*, *molitores*, quorum poſtici, & extremi, quoniam ſero admodum naſcuntur & prorumpunt, *ſapientiæ dentes* vocant, omnes duri, tumidi, lati ſunt, ſuperficiemque, vel minorem menſam quaſi ſcrupeam, aſperam habent, aſſident ex utroque latere caninis modo quatuor, modo quinque, quorum primi ſimplicem quandoque radicem habent, interdum duplicem, reliqui modo duobus, modo tribus, modo etiam quatuor radicum uncis ſuis inhærent alveolis, plurimos habent a potiori molares poſteriores.

Et hæc quidem adeo inter ſe diſſimilia oſſa efficiunt globum totius capitis, pluribus in ſceleto inæqualem & conſpicuum foraminibus, habet enim *intus foſſas ſex*, *extus quatuordecim*, *intus foramina viginti quinque*, *extus novem*, & *octo meatus*, vel *ductus*, deinde intra palatum & fauces, vel pone has adnexum eſt his capitis oſſibus *os hyoides*, cujus baſi *linguæ radix* adhæret, componitur hoc in junioribus ex undecim oſſiculis, & quatuor quaſi emittit *cornua*, quorum duo breviora & inferiora lateribus thyreoideæ cartilaginis laryngis aſſident, longiora vero & ſuperiora deſcendenti ab oſſe petroſo apophyſi longæ, tereti, ſtyloideæ admoventur ad ejus extremum.

Spinæ dorſi triginta Natura dedit *vertebras*, quæ cavæ ſunt in medio, & *apophyſes* habent, *quatuor obliquas*, *duas transverſales*, & unam *ſpinoſam*, (qua quidem prima vertebra, quæ *Atlas* audit, caret,) ad latera perforatæ ſunt pariter, vertebræ ſuperiores a potiori minores ſunt inferioribus, omnes mirifice nectuntur

inter

inter ſe ope intercedentis ipſa inter *corpora*, quo nomine veniunt portiones earum denſiſſimæ, poroſæ, *cartilaginis*, vel tenaciſſimæ *chondroideæ maſſæ*. Superiores illæ ſeptem vertebræ ſunt *vertebræ colli*, aut *cervicis*, *duodecim* ſequentes *vertebræ dorſi*, vel *thoracis*, quibus utrinque alligantur *Coſtæ* duplici nodo, vel tuberculo, altiore quidem ipſi vertebræ corpori, humiliore autem apophyſi ejus transverſali, harum *Coſtarum* ſuperiores & inferiores paulo ſunt breviores, mediæ longiſſimæ, omnes arcum formant ad modum circuli dimidii, ſuaque ſimul ſcita & mirifica combinatione *fornicem thoracis*, dividuntur autem utrinque in *coſtas ſeptem veras*, vel integras, id eſt, cohærentes & continuas cum *Sterno*, *pectoris oſſe*, interveniente longa *cartilagine*, aliasque *ſpurias quinque*, ad ſternum non pertingentes, verum diaphragmati & ſibimet ipſis innexas & adglutinatas; *Os* hoc *pectoris*, vel *ſterni* licet unum eſſe videatur, continuumque os, tamen lineis diſtinctum eſt transverſalibus, etiam in adultis, a parte inferiore paululum concavum, & introrſum incurvatum, a ſuperna elatum, adhæret infimo ejus extremo *cartilago enſiformis*, vel *xyphoidea*, mobilis, fere triangularis, ſuper ea eſt *ſcrobiculus cordis*. Format autem totum fere ſternum triangulum, ad cujus baſin lateribus adglutinata ſunt ſuperne *claviculæ oſſa*, interventu cartilaginis, hæc ex utroque latere thoracem terminant & claudunt quaſi, per ea enim collum & pectus quaſi nectuntur inter ſe, altero enim extremo ſuo, eoque antico apponuntur laterali ſterni ſummitati, altero autem poſtico & externo applicantur *ſcapulæ*, oſſi fere triangulari, tribusque ſatis magnis apophyſibus conſpicuo. *Scapulæ* hæ in ſummo hærent ad latera tergo, declives, oblique ſitæ, fulciunt collum, & in hominibus macilentis inſtar duarum alarum prominent per cutem.

Præterea etiam evenit quandoque, reperiri *officulum in corde*, quemadmodum alias habentur *oſſa de corde cervi*, rariora vero ſunt in hominibus, ubi autem occurrunt, in ſenibus præcipue obſervare licet, efficiunt quartam circuli partem, & reperiuntur in ſuprema cordis parte circa ortum arteriæ pulmonalis & aortæ, magis tamen ut plurimum cartilaginem referunt, ac os, non videtur id eſſe naturale officulum, ſed effectus potius nimiæ vaſorum efficaciæ longo uſu compingentis nimis, durasque reddentis fibras.

Redeamus autem ad oſſeam *ſpinæ Dorſi* columnam, poſt vertebras dorſi ſequuntur *vertebræ lumborum quinque*, tertium vertebrarum ordinem conſtituentes, quem ultimo ſequitur *ſacrum os*, e ſex compoſitum vertebris, degenerantibus haud parum, & in adultis connatis & coalitis in totum, huic autem oſſi ſacro appenſum eſt *os coccygis*, e tribus, vel quatuor coagmentatum oſſiculis, extremum ſpinalis columnæ totius finem efficiens, ad latera vero ſacro huic oſſi adglutinantur *oſſa pelvis*, *oſſa innominata*, magna, quæ in junioribus triplici linea diviſa ſunt a Natura, cujus veſtigia legentes *Oſteologi* tres in partes diſpeſcunt etiam adultorum *Pelvim oſſeam*, licet a potiori obliteratæ ſint ibi lineæ illæ, vocant autem portionem ſuperiorem, latiorem: *os Ilium*, alterum anticum anguſtius *os pubis*, aut *Pectinis*, quod cum altero ſui pare, proxime aſſidente, admotoque per interjectam cartilaginem adeo junctum eſt arcte, ut etiam in partu difficillime ſecedant a ſe invicem, & diſiungantur, tertium os, eſt proprium *os coxæ*, vel *Iſchii*, quod magnam illam inſculptam habet *acetabuli* foſſam, cui femoris caput immergitur. Tria hæc oſſa una cum ſacro ſcite admodum a poſticis incuneato & interſerto, pelvim quaſi faciunt, qua veſica urinaria, uterus, & pars etiam inteſtinorum, præcipue recti continentur, & ſunt quaſi fundamentum & fulcrum trunci totius, nam licet hoc proprie ſit immobile, admittit tamen, ut omnis commode ſuper eo moveri, & alternatim verti & librari truncus poſſit.

Superſunt *Artuum oſſa*, *ſuperior extremitas* compoſita eſt ex *oſſibus quadraginta duobus*, primo quidem *oſſe humeri*, quod ſuperne; capite ſuo majore, rotundo, cartilagine obducto, leni, nec profundo illi ſcapulæ ſinui admovetur, infra vero extremum habet cochlearis trochleæ admodum tornatum, ſecundo ex *ulna*, *cubito*, & *radio*, tertio ex *octo* illis *carpi oſſibus* in formam trochi luſorii concluſis, & coagmentatis inter ſe, fortibusque ligamentis obductis, altera parte dimidia, vel oſſium ſerie ſuperne admotis ulnæ, radiique fini, altera inferne metacarpi oſſibus, quarto; ex *oſſibus quatuor metacarpi*, quæ juxta ſe invicem poſita, & per longitudinem ad digitos excurrentia, colligantur, & a parte antica proximis digitorum phalangis, a poſtica carpi oſſium anticæ ſeriei adligantur, quinto tandem e *quindecim oſſiculis digitorum*, quorum ſinguli tria habent, quæ ſuis in articulis lenes paſſim habent ſinus, quibus minora *duodecim oſſicula ſeſamoidea* inſident.

Eodem fere modo & numero apparent etiam *Oſſa pedis*, quorum maximum eſt: *Femoris os*, quod magno ſuo capite profunde ſe demittit in *acetabulum Iſchii*, vel *Coxæ*, ab eo autem capite *collum*, vel *cervix* emigrat, duobus inæquale proceſſibus, quos *Trochanteres* vocant, a parte autem inferiore hoc femoris os inarticulatur *Tibiæ oſſi*, ſed imponitur & inſidet concurrenti pro articulo utrique oſſi os breve, ſubrotundum, fere cordiforme, *Pa-*

tella eſt, ipſi laxe adplicata genu, ſecundo eſt ipſum *Tibiæ os*, cujus inferiores gibbi laterales *malleolos* efficiunt, *externum* & *internum*, & cujus omni fere longitudini ad poſtica eſt admotum *os fibulæ*, *perone*, porro eſt *Tarſus*, qui e *ſeptem oſſibus* conſtat, magna parte coercitis ab ipſis malleolis, & e quibus maxime prominet *calx*, *os calcanei*, & *os naviculare*, deinde *quatuor oſſa metatarſi*, quæ *dorſum*, & *plantam pedis* cum digitis efficiunt, & per longitudinem a tarſo ad pedum digitos excurrunt, quemadmodum in manu a carpo metacarpi oſſa; denique *digiti pedum* omnes *tria* habent *oſſicula*, & *internodia*, excepto *Halluce*, qui ſolus *duo* tantum habet, occurruntque hic etiam paſſim ſuper ipſos articulos foveæ vacuæ, quibus, quemadmodum in manu *oſſa ſeſamoidea duodecim* inſident.

Mentionem paſſim hactenus injeci *Cartilaginum*, & *Ligamentorum*, eſt vero *cartilago* pars uniformis, frigida, ſicca, tenax, firma, flexilis tamen, polita, & fere pellucida, levis, alba, mollior oſſibus, proxime tamen ad eorum indolem accedens, cavitatem habet nullam, nullumque ſenſum, data vero eſt ideo, ut motus oſſium facilitet magis, oſſa motui aptiora reddat, & præmuniat ab omni violentia & injuria, quoniam cedit aliquantum, ſicque impedit, quo minus oſſa ſtatim a prima percuſſione ac violentia frangantur, abſorbent enim ictuum haud exiguam partem, præterea vero paſſim quoque ipſa oſſa quodammodo conjungunt, imo quandoque fulciunt. *Ligamenta* ſunt partes uniformes, molles, albæ, ſiccæ, tenaces, fibroſæ, robuſtæ, duræ, quæ a potiori articulos oſſium, quibus idcirco adnaſcuntur, continent, coercent, colligant, quandoque ipſis quoque miſcentur muſculorum tendinibus & aponeuroſibus, ceterum cartilaginibus multo ſunt molliores. Reperiuntur vero etiam cartilagines multæ atque ligamenta intus in corpore, quorum ſuo loco mentio fiet.

Jam vero, ſi colligimus hæc omnia, ſi denuo combinatam intuemur mirifice adeo, tantoque artificio pulcherrime coordinatam totius corporis oſſium ſyntaxin, ſi perpendimus, quantum ea ferre poſſit, & ſuſtinere onus, quanta pernicitate totum corpus commode poſſit loco moveri, habemus ſane objecta plurima, in quibus intellectus & ingenii vires exercere licet, neque poſſumus non admirari ſummam Creatoris Adorandi ſapientiam, verbis nunquam ſatis exprimendam, ſed in gloriam Auctoris tanto majorem nunc imperfecte cognitam, unde ſerenioribus, quas ſperare licet, intellectus noſtri periodis hæc reſervabimus problemata.

CAPUT V.

De partibus diſſimilaribus, quas infimus includit venter.

QUoniam hactenus partes deſcriptæ fuerunt ſimilares, uniformes, tranſeundum nunc eſt ad *Diſſimilares*, quæ ſuas pariter functiones peragunt e ſua propria fabrica, ſolent autem ordinis majoris cauſa in partibus his diſtinguere id, per quod earum functio fit, & ſine quo non fit, deinde id, per quod fit commodius, & denique id, quo conſervatur, ſecundo ſolent obſervare partium harum numerum, volumen, ſeu decentem magnitudinem, figuram ſingularem, ſitum, & connexionem cum partibus vicinis, concluduntur autem hæ partes omnes cavitatibus, vel *ventribus*, *infimo*, *medio*, & *ſupremo*, quin etiam aliquæ inhærent ipſis artubus, pedibus, manibusque.

Venter infimus, vel *Abdomen* eſt ea corporis pars & regio, quæ ab *enſiformi cartilagine*, vel *ſcrobiculo cordis* ad pelvis oſſa extenſa uſque ſub coſtis terminatur ſpuriis & ad *coxas*; Partes hujus abdominis internas circumdant extus *integumenta communia*, *epidermis*, *cutis*, *panniculus adipoſus*, *tunica muſculorum*, ſecundo decem illi *abdominales muſculi*, denique internum *peritonæum*, quod inteſtina & abdominalia viſcera omnia tanquam in ſacco includit; Partes internæ ipſæ ſunt, partim illæ, quæ nutritioni ſerviunt, ut *ventriculus*, *omentum*, *inteſtina*, *meſenterium*, *Vena Portæ*, *rami deſcendentis trunci aortæ*, *aſcendentis Cavæ*, *intercoſtalis nervi propagines*, & *rami paris vagi*, *lien*, *hepar*, *veſicula fellea*, *renes*, *ureteres*, partim aliæ partes, quæ generationi famulantur, ut in ſexu virili: *arteriæ*, *venæque ſpermaticæ*, *vas deferens*, *veſiculæ ſeminales*, extus deinde appenduntur: *ſcrotum*, *teſticuli*, *epididymides*, & pendent extus de abdomine, *penis* autem ſuper ea prominet, in feminis *uterus* intus eſt, extus *externæ partes genitales*, in utroque ſexu intus etiam eſt, (ſed magis in pelvi,) *veſica urinaria*, quæ continuatur in *urethram* extra pelvim, & corpus excurrentem,

& cu-

& cujus radici adjacent in viris *proſtatæ*, vel aſſidet una *proſtata.*

Ventriculus, in homine unicus, ciborum diverticulum, & burſa quaſi venatoria, ſubrotundus eſt, & ad latera inſtar cucurbitæ longus, utriculo haud abſimilis luſorio, duosque habet exitus, vel portas, quarum ſiniſtra, *orificium ſiniſtrum*, aut *cardia*, e thorace deſcendenti a faucibus, & per diaphragma trajecto *oeſophago*, vel *gulæ* continua ſepto transverſo adhæreſcit, dextra vero, vel *dextrum orificium*, *Pylorus*, primo a ventriculo inteſtino, *duodeno*, admovetur, & apparenter continuatur, & occupat quidem hoc inteſtinum & orificium maximam ſuperioris abdominis partem lateralem dextram, habet autem intus pylorus membranaceum annulum, qui redituris alimentis præcludit regreſſum, eſt *valvula pylori.* Ventriculus ipſe paululum rugoſus eſt intus, politus & glaber extus, dimittit autem de ſe ſurſum *oeſophagum*, vel *gulam*, deorſum *inteſtina*, ita, ut ab ore uſque ad anum, qui finis eſt inteſtini recti, unus tantum ſit idemque continuus tubus, qui multis *Tubus alimentaris* audit, ſuperat ille longitudinem totius hominis ſexies vel ſepties ut plurimum.

Inteſtina, quibus *omentum*, *epiploon*, *rete*, ventriculi fundo accretum innatat quaſi, membranas habent ſimiles ventriculi membranis, nimirum *communem a peritonæo*, duasque proprias, quarum extima denſa, robuſta, *muſcularis* plena carneis eſt fibris, intima vero *villoſa*, rugoſa eſt, omnia hæc inteſtina miros convoluta ſunt in gyros, ut parcatur ſpatio, extus undique pinguedine multa obducta, intus muco tenace humectata. Incipiunt autem a pyloro, ubi primum eſt *inteſtinorum tenuium*, *Duodenum*, quod verſus dorſum, cui alligatur per membranas, deſcendit, & ubi jam ſatis notabiliter incipit curvari, finitur; ſub hoc, ipſoque pro parte ventriculo, ſuper prima lumborum vertebra, *Pancreas* eſt, glandula carni ſimilis, alba, & inteſtino huic, & venæ portæ, ramoque ſplenico illius mollis inſtar pulvinaris inſerviens; verum illi duodeno continuatur poſtea *Jejunum*, quia fere ſemper vacuum reperitur, coloris ex atro flavi, vel obſcure rubri, circa umbilicum convolutum jacens, &, ubi hoc notabiliter magis rubeſcit, incipit *Ileum*, tertium inteſtinorum tenuium, paulo tenerius, at multoties complicatum, & longiſſimum, occupat utrumque abdominis latus juxta umbilicum, &, ubi abdominis annulus nimium dilatatur, aut, quod multo quidem ibi rarius accidit, peritonæum rumpitur, in ſcrotum delabi, herniamque cauſari poteſt; finitur ileum hoc ad *proceſſum* illum aut *appendicem vermiformem*, pendentem de primo inteſtinorum craſſorum, id eſt, *Cæco*, eſt hoc a potiori liberum, interdum dextro reni adnatum, intus ſingulari artificio conſtructum annulum habet membranaceum inſignem, eſt *Valvula coli* vel cœci potius *Bauhiniana*, hæc ſatis exacte connivet, ubi remeare volunt e craſſis in tenuia feces, adeoque remeaturis obicem ponit.

Cœcum hoc eſt breve, mox ab eo ſecundum craſſum inteſtinum, *Colon* procedit, amploque orificio in illud patet, maximas habet *valvulas* intus *conniventes*, aut *juga valvuloſa*, verſus hepar aſcendit, ibi ſub eo reflexum ſiniſtrum verſus latus per transverſum excurrit ad & prope ventriculi fundum, & juxta lienem, ſiniſtrumque renem deſcendit, imo & illi reni quaſi accreſcit, ita deſcenſurum bis adhuc incurvatur, tandem exit in tertium inteſtinum craſſum, ſcilicet *Rectum*, quod in viris veſicæ urinariæ collo, & ſeminalibus veſiculis eſt ſubjectum, in feminis autem ipſi adnatum & ſuppoſitum utero, in utroque ſexu exit in ipſum *Anum.*

Continetur autem & coercetur hoc mirifice adeo implicatum *inteſtinorum* omnium *volumen* per *Meſenterium*, quod ejus medio inſidet, eſt hoc membrana e *duabus peritonæi laminis* conflata, eaque duo inter laminarum ſtrata projecta ſunt innumera vaſa meſenterica ſanguinea, rami venæ portæ, ipſique trunci meſenterici, radices ejus, innumeræ arteriolæ, rami arteriæ meſentericæ, ſuperioris & inferioris, quin & ramuli arteriarum lumbarium, deinde innumeri ſurculi nervei e pare octavo, nervis lumbaribus, nervoque intercoſtali progeniti, qui ad ipſa inteſtina extenduntur uſque, quemadmodum ſanguinea vaſa eo exporriguntur, eaque ſubeunt, quin etiam intra duplicaturam hanc ramus vel truncus venoſus ſplenicus emigrat verſus venæ portæ truncum, qui hepar petit, cujus concavam partem ſubit, in multas poſt diffuſus quaſi radices. Ita ergo ex his omnibus tumor ille naſcitur, quem proprie *Abdomen* nominant, quod enim reliquum ejus cavitate concluditur, eo non facit.

Splen, ſive *Lien* unicus in *ſiniſtro* ſitus abdominis latere, vel *Hypochondrio* infra diaphragma, ſub coſtis ſpuriis hepati e directo eſt oppoſitus, comparando ſcilicet portionem hepatis majorem cum ſitu lienis, nec enim exigua hepatis pars ſuper ipſum ſcandit ventriculum, & fere ipſum denique contingit lienem, lien ille *figuram* fere *linguæ bubulæ*, aut *ſpongiæ* habet, ibi, ubi ventriculum reſpicit, & contingit, paululum concavus, diaphragma verſus convexus, in medio ſinu prope lineam fere albam multas emittit ramificationes & propagines venæ ſplenicæ, intromittit arterias, quæ, uti venæ per omnem ejusdem ſubſtantiam diffunduntur.

Hepar, ſive *Jecur*, itidem unicum, & magnum eſt, & integrum in homine, implet tantum non omne *Hypochondrium dextrum*, alas nullas habet, lobosve, *fiſſuram* autem inſignem, quam ſubit *Vena umbilicalis*, quæ in adultis in *ligamentum*, vel funem vertitur, vocant: *Ligamentum hepatis rotundum*, ſuſpendit enim hepar ad umbilicum, ne relabi ad ſeptum transverſum nimium queat, & religat ad illum, vix digito transverſo diſtans, pendensque quaſi de diaphragmate, illique partim adnexum per ligamenta ſimpliciter membranacea, quæ ſunt: *Ligamenta hepatis lata*, *ſuſpenſoria*, partim vero & a poſticis primæ appenſum lumborum vertebræ, parte convexa glabrum, politum, æquale, concava, qua dextrum ventriculi latus, imo ſuperiorem ejusdem arcus partem omnem & ſuperficiem obtegit, inæquale, modo monticulis bullatum, modo & ſinubus exaratum foſſisque, ut per eas admittat, emittatque veſiculæ felleæ ductus excretorios, & Portæ venam, plurimas enim in ſe totum hepar continet tam venæ portæ, quam cavæ radices & ramificationes, quæ intra illud frequentiſſimis inter ſe uniuntur anaſtomoſibus aut inoſculationibus; quæ ſuperſunt ſpatia vacua, ſupplet ac explet *caro hepatica*, *parenchyma hepatis* e ſanguine coagulato conflatum, omnia vero tunica propria, quæ a peritonæo eſt, quamque paſſim ſurculi nervei octavi paris, & intercoſtalis nervi perreptant, ad penetralia etiam hepatis demiſſi, concluduntur & coërcentur. Vaſis autem ſanguineis illis intra hepar multi alii miſcentur tubuli, ductusque, radices *hepatici ductus*, qui bilem ex ipſo hepate colligit, ſunt hæ radices: *Pori* ſic dicti *Bilarii*, maxime autem vaſorum illorum comites eſſe ſolent in parte concava hepatis dextra *ductus cyſticus*, per quem e veſicula fellea bilis defluit flava, & *ductus hepaticus*, qui bilem ex hepate ipſo refert, & ſe poſtea cyſtico unit in unum communem canalem, qui *cholidochus communis ductus* eſt, imo vero & venæ portæ rami, & hepatici ductus radices, vel pori bilarii, arteriæque hepaticæ una communi vagina membranacea, quæ *Capſula Gliſſonii* eſt, hepar pererrant univerſum.

Fellea veſicula, vel *Cyſtis* forma & magnitudine piro ſimilis eſt, bulla membranacea, intus a ſordibus adhærentibus corticis ad modum aſpera, *venulas* hæc *duas* habet a vena portæ *cyſticas*, & ab arteria cœliaca *binas arteriolas cyſticas*, præterea vero fibrillas etiam *nerveas* a *pare vago*, de quo proxime dictum eſt, *fundus veſiculæ* deorſum reclinatus eſt, *cervix* autem, vel *collum* longum eſt, paululum in rotundum inflexum, continuumque *ductui cyſtico*, qui tres intus *valvulas* habet, &, poſt viam quam emenſus eſt aliquam, recepto *ductu hepatico* a latere ad angulum ſatis acutum implantato, uno ductu tuboque nomine *ductus cholidochi* vel *bilarii communis* deſcendit ad primum inteſtinorum tenuium, ſcilicet *duodenum*, ejusque *ſaccum*, imo intra illud uno utplurimum eodemque orificio cum *ductu pancreatico* patet ac hiat, ut ſuam effundat bilem, ſuſpicati etiam ſunt olim ab eo cholidocho ramulum forte aſcendere ad fundum ventriculi, per quem infuſa ipſi bilis primis vitæ diebus perpetuam ægritudinem, dyſpepſiam, imo verum icterum homini conciliet.

Ex hepate, venarum ſede, venæ omnes tanquam e propria ſua ſede per totum educuntur corpus, ſola vena portæ abdomini ſervit ſoli, ſed e Vena Cava omnes illi veniunt rami, vaſa illa venoſa omnia, quæ arterias per totum fere comitantur corpus, & quæ haud raro a ſurculis nervorum octavi paris, aut vagi modo decuſſantur, modo tanquam ſociis itineris ambiuntur, reliqua vaſa venoſa Vena Cava quaquavorſum emittit ad corpus, & ubique, uti nunc e ſequentibus apparebit.

Ita, quæ de vena cava prodeunt *Emulgentes* aut *Renales venæ* feruntur ad *Renes*, atqui vero hæret ad utrumque latus *Ren unus*, paululum compreſſus, oblonge rotundus, figura phaſeoli, exteriore parte convexus, & extrorſum exaſciatus, interiore ſuperficie introrſum incurvatus extremo utroque, rubellus, extra peritonæum ſitus, adipe multo ſingulari cinctus, proxime inſidens carnibus vertebrarum lumbarium, habet in ſummitate appoſitam glandulam, quam vocant: *Capſulam atrabilariam* vel *glandulam renalem*, *ſuprarenalem*, hæc minor ipſius tamen renis figuram ſequitur, ſuaque tenui, qua cingitur, membrana, ipſi etiam reni adnectitur, vocant alii etiam *renem ſuccenturiatum*, glandula flaveſcens eſt, quæ cavitatem intus habet fuſco irriguam liquore. Ipſe verus ren præterea duas valde conſpicuas cavitates habet, aliam valde profundam, quæ radix eſt *Pelvis renum*, intra quam tubercula ſunt multa, fere mammarum papillis ſimilia, ſed multo minora, foraminibus pervia, quæ ſunt orificia *Tubulorum urinariorum Bellini*, altera cavitas magis extus eſt, magna, ſpecies alicujus ſacci membranacei, qui ureteribus continuatus infundibuli formam habet, eſt, ſi loqui licet ita, *pelvis externa*, interim, ubi eandem ad interiora proſequeris, obſervabis: habere commercium cum cavitate priore, aut *interna pelvi*, & intus expandere ſe inſtar pedis anſerini, & modo memorata tubercula, quibus carnea quaſi opercula ſuperimminent, ambire, ibidem vero loci, ubi externa pelvis deſertura renem exit in *ureterem*, & ubi notabili ſinu exaratus eſt ren extus, ingrediuntur ſubſtantiam ejus, & eadem egrediuntur *vaſa emulgentia* venoſa & arterioſa, illa quidem inſtructa valvulis,

ne

ne remeare cruor poſſit, maxime autem egrediuntur ex ea cavitate *ductus excretorii urinarii*, ſeu *ureteres*, graciles, longi, craſſi, cavi, membranacei, albi, lumbis adhærentes, deſcendentes ad veſicam inter duplicem peritonæi laminam, lateribusque veſicæ inter membranas ejus ratione mirifica, & cum effectu ſtructuræ valvuloſæ inſerti ad ima bulbi veſicæ haud longe a collo patentes intus.

Veſica urinaria, quaſi matula corporis naturalis, cava eſt, membranacea, & fere carnea, tecta ſuperiore a parte poſtica fundi peritonæo, cavitate pelvis contenta, & ſita in viris quidem ſuper inteſtino recto, in feminis autem ſuper cervice uteri, ſed e medio hoc veſicæ fundo, tanquam ex ejus centro aſcendit *urachus* ad umbilicum, illique ſuo prorſus inhæret extremo, deinde autem ad inferiora & latera duo habet veſica hæc foramina, per quæ via fluenti per ureteres a renibus lotio in veſicam patet, maximum vero eſt ad *collum*, aut *cervicem veſicæ*, huic enim ipſa continuatur *urethra*, ductus ille, per quem ex ipſa veſica urina mingitur. Ad eum colli ejus tubum ſubtus in viris poſitæ ſunt *Veſiculæ ſeminales*, ipſa vero veſica fibras muſculares habet, quarum ope contrahere ſe poteſt, & exprimere urinam, deinde tota quanta etiam vaſis perreptatur ſanguineis multis, & ſcite in viris denique nexa eſt cum *pene*, aut *virili membro*, hujus enim ſpongioſa corpora proxime circumjecta ſunt urethræ ſubſtantiæ ſpongioſæ, poſtquam ea urethra extra corpus intra penem producta eſt. Inſerviunt partes hæ omnes, quatenus maſſam humorum liberant a fluidis & partibus recrementitiis, remote nutritioni, eamque juvant. Ad *generationem* & propagationem humani generis faciunt in homine: *Vaſa præparantia* ſemen, ut *venæ duæ*, *arteriæque* totidem *ſpermaticæ*, in progreſſu ſuo peritonæi proceſſu ſeu productione obvoluta, juxta lumbos ad latera pubis deſcendentia, ubi quidem adhuc diſtracta tantisper tandem in apicem deorſum quaſi confluunt, & egreſſa per abdominis annulum abdomine ſuper os pubis delabuntur, & mirifica, contorta quaſi mutua facta implicatione in ſummo teſticulorum efficiunt oblonga illa corpuſcula, his inſidentia, vocant: *epididymides*, ejusdem cum teſticulis, quibus aſſident, naturæ.

Sunt autem ipſi *duo Teſticuli*, ad modum aliarum glandularum, maſſarumve his analogarum, albi, laxi, molles, figura ovo ſimiles, duabus propriis inveſtiti tunicis, præterea vero aliis duabus denſioribus & robuſtioribus, utrique communibus involuti, quarum alteram rugoſa *Dartos* cutis, *Scrotum*, conſtituit, alteram involucrum e peritonæo membranaceum, & vagina muſcularis, quæ a muſculis abdominis obliquis huc deſcendit, & *Cremaſteris* nomine ſingulis ſe circum ponit teſticulis.

Ab *epididymidibus* procedunt *Vaſa ſeminis deferentia*, vel *ejaculatoria*, quæ ſunt alba, teretia, membranacea, prope teſticulos complicata, euntia ſurſum, & per annulum abdominis in abdomen penetrantia ipſum, deinde vero ad veſicæ collum reflexa, & immerſa regioni veſicularum ſeminalium anticæ, partim recta in urethram patentia, partim & oblique in ipſas *Veſiculas ſeminales*, quæ ſunt capſulæ duæ, membranaceæ, celluloſæ, parti colli veſicæ poſteriori adnexæ, quaſi varicoſæ prominentiæ, ſatis magnæ, firmæ, valida e membrana vaſculoſa, & quaſi muſculoſa compoſitæ, ipſoque præterea peritonæo involutæ, deſtinatæ recipiendo & aſſervando ſemini, quod per ſingularem *ductum excretorium*, e quavis veſicula unum, duplici ut plurimum in urethram patentem oſculo excernitur, & effunditur. Sed & mox ante veſicæ collum eſt maſſa globoſa, fere cordiformis, quæ urethræ principium totum cingit, glanduloſa, eſt *Proſtata*, *Proſtatæ* aliis, magnitudinem hæc nucis circiter juglandis habet, ad poſtica duas *natiformes eminentias*, ſubſtantia glanduloſa, ſpongioſa, mollis eſt, robuſta obducta membrana, ad urethram & in eam roſtrum emittit, quod *caput gallinaginis* vocant, id oſcula duo habet, ductibus ejaculatoriis, veſiculisque ſeminalibus communia, ſecernitur enim in hac maſſa glanduloſa liquor ſemine ſpiſſior, ſed multus, copioſus, albicans, qui per multa foraminula, ſeu ductus excretorios in urethram cum ſemine projicitur ſub oeſtro venereo.

Denique *Penis* eſt, *membrum Virile*, *Virga virilis*, quæ circa mediam pubem ex ejus ſummo extra corpus dependet, ea obvoluta eſt tunicis cum ſcroto communibus, integumentis nimirum communibus, pariter hic laxis & rugoſis, longa, rotunda, conſtat autem e *duobus ſpongioſis*, *cavernoſis*, membranaceis *corporibus*, quæ ab ortu quidem ſuo conjuncta ſunt, in progreſſu autem cedunt interjectæ urethræ, per quam & urina, & ſemen projiciuntur, atque propterea diſiunguntur paululum Media *Urethræ* hujusce ſubſtantia mollis eſt, & ſpongioſa, & ſubnigricans, obducta membrana valde ſenſili, plena circulis, vel annulis, omnis autem hic tubus cum virga ſcite adglutinatus eſt infimæ, poſticæque abdominis parti, imo & penis per ſingulare illud tenax, membranaceum *Veſalii ligamentum* ad pubis oſſium ſynchondroſin religatur, reliqua vero penis pars dependet libera, & flexa inſtar literæ 5. & habet ad extremum anticum appoſitam *Glandem*, *balanum*, tumidum virgæ caput, glabrum, ſubrubellum, inflatum quaſi, & valde ſenſile, tenerrima obductum pellicula, in medio urethræ

oſtiolo perforatum, & præputio, quo tanquam per faſciam circumjectam, & vaginam coercetur quaſi, obductum, vocant glandis hujus limbum poſteriorem, per rotundum exacutum *coronam glandis*, *præputii* autem, id eſt, extremæ integumentorum portionis, quæ glandem obducit, eam partem replicatam, quæ ſubtus ad extremum glandis eſt, & retracto præputio tantopere tenditur, *frænulum* glandis, aut penis. Sed omnia hæc membra, omnesque hæ partes multa vaſa ſanguinea habent, quæ non tantum earum conſervationi, ſed & ſexuali animationi ſerviunt.

In *Sexu Feminino* ad generationem aliæ ſunt & faciunt partes, ac in viris, & loco proſtatæ collo veſicæ, vel urethræ potius principio incumbentis in feminis ipſi veſicæ corpori uterus inſidet; *vaſa ſpermatica* ſunt eadem, ac in feminis, & ea quidem, ut compenſaret Natura brevitatem, per multas curvaturas deſcendunt, *corpus*que faciunt *pampiniforme* multis illis complicationibus, teſtes muliebres ambeunt, ſed, ante ad eos quam pervenere prorſus, ramum emittunt ad uteri fundum. *Teſtes muliebres*, vel *ovaria*, non, ut in viris, extra corpus pendent, ſed tota quanta in penetralibus ejus recondita ſunt, ſita in muſculis lumborum, *duo* numero, lateribus uteri appoſita, ſupra ejus fundum, figura ſatis lata & plana, ſuperficiei tamen inæqualis, a potiori ſphæroidea, mollia, humida, unica, tenaci, tenerrima tamen obducta membrana.

Haud longe ab his ovariis diſtant *fimbriata* extrema patentia *Tubarum Fallopianarum*, quæ ſunt canales fere cylindrici, tortuoſi, ex utroque latere unus, ab uteri fundo in quem patent, excurrentia ſurſum, verſus ovaria, cum quibus per alas veſpertilionum laxe cohærent, alterum eorum extremum, origo earum utero continua, diametrum habet minimam, alterum libere circa ovaria in pelvi fluctuat, nullibi adnatum, tubulumque mediocrem admittit, *ſubſtantia* tubarum harum eſt membranacea e duabus compoſita laminis, quarum exterior a peritonæo eſt, interior uteri membranæ interiori continua eſſe videtur, ſed eſt etiam ſubſtantia *cavernoſa* inter illas membranas, unde a copioſiſſimis ſanguineis vaſis intumeſcere poteſt & obrigeſcere, intus rugoſæ ſunt, & lubrico ſemper madent humore.

Uterus, Naturæ ager, extus robuſtam a peritonæo membranam habet, intus membranam poroſam, nerveam in virginibus habet, ceterum e duabus propriis membranis compoſitus, multis intertextis fibris carneis, quaſi *carne ipſi propria*, in virginibus firmus, robuſtus & compactus, verum valde anguſtus, in gravidis autem ſpongioſus & ſinuoſus, mirifice dilatatus ſalva virginali craſſitie, multoque amplior & capacior, maxime ultimis geſtationis menſibus, poſitus eſt hic uterus inter urinariam veſicam & inteſtinum rectum, in medio fere *pelvis*, quæ in feminis multo amplior eſt, ac in viris, figura pirum quaſi compreſſum refert, exit autem in *collum*, vel *cervicem* longam, *fundus*, ejusque pars poſtica libera prorſus eſt, nullibi adhærens, latera vero & ipſius bulbi uteri & cervicis religata ſunt ad parietes pelvis per *lata* illa *uteri ligamenta*, quæ *veſpertilionum alæ* audiunt, deinde a parte uteri ſuperiore, vel fundi lateribus oriuntur *ligamenta uteri rotunda*, quæ ſurſum eunt, & per annulos muſculorum abdominis elapſa deſcendunt ad inguina, ſepulta ibi profunda in pinguedine, adnata etiam hæc ſunt ipſis pubis oſſibus, habent præterea hæ partes *vaſa multa ſanguinea*, quæ in utero ipſo tortuoſa valde ſunt, frequentesque ſubeunt anaſtomoſes, oſculis in uterum patent & vaginam, & in gravidis in veros ſinus, id eſt, ampliores dilatata ſunt tubos, in virginibus jam cruorem fundentia menſtruum, veniunt autem hæc vaſa, quoad ſpermatica quidem, ex ipſa immediate aorta, cavaque vena, reliqua vero maxima ex hypogaſtricis, & hæmorrhoidalibus externis, *nervi* ſunt ex *intercoſtalibus*, *lumbaribus*, & *oſſe ſacro*, implexi omnes inter ſe mirificeadmodum.

Totus autem *uterus* dividitur in *Fundum*, qui pars ejus eſt ſuperior, maxima, veſicæ urinariæ ſubjecta, ſubrotunda, cava, & per *lineam* in dextrum diſtincta, ſiniſtrumque latus, ad latera ſimul profundis acuminibus, quæ cum cornubus altis pronaſcentibus comparant, conſpicuus, deinde ſolent præſertim in eo diſtinguere *os*, vel *orificium internum*, quod eſt anguſtiſſimum uteri os, forma oris catelli, quod ſemper connivet, & quodammodo clauſum eſt, exceptis iis caſibus, ubi virile ſemen injicitur, aut partus exit, vel extra graviditatem catamenia fluunt, tertio diſtinguere ſolent *cervicem*, ſeu *collum uteri*, cujus extremo patenti ore illo interno uteri ſcite admota eſt *uteri vagina*, tubus amplus, haud multum diſſimilis inteſtino recto, ſed robuſtior, inter veſicam, vel ejus collum, rectumque inteſtinum antrorſum excurrens ab utero ad ſuum uſque orificium, carnoſus & membranoſus, ſex ad minimum ſeptemve digitos longus, rugoſus intus, cujus ad extremum clauſtrum, ſera virginitatis in ſtatu cœlibatus eſt, *Hymen* ſcilicet, membrana elliptica fere, quæ rupta per coitus degenerat in *caruncula myrtiformes*, ut vocant, manet tamen in medio hujus hymenis foramen anguſtum valde, per quod menſtruus effluere ſanguis poteſt, ſupra clitoridem eſt *urethra*, meatus urinarius, qui lotio e veſica effluxuro viam facit, quarto tandem eſt *os*, vel *orificium uteri externum*, vaginæ potius orificium & finis, atque hic jam ſunt *genitalia mulierum externa*,

Pu-

Pudendum ſeu *vulva*, cujus in medio rima eſt vel os vaginæ, dividuntur autem hæc pudenda in *montem veneris*, ſcilicet illum tumorem ſubrotundum, piloſum in ſumma pube, ipſaque *labia vulvæ*, pariter crinibus obſita, latera rimæ tumida, quorum concurſus ad ima tenſam quodammodo cutem facit, vocant: *frænulum vulvæ*, quod ſub vulva ſpatium eſt retrorſum ad anum uſque, *perinæum* audit, ſed illa etiam labia ſunt ad limbum internum & inferiorem præcipue copioſiſſimis conſita granulis, quæ ſunt minimæ *glandulæ* a conſiſtentia materiæ, quam ſecernunt, *ſebaceæ* dictæ, præmunit horum liquidum a moleſtiis ex attritu metuendis; porro autem ex interiore labiorum latere utrinque pendet maſſula vel ala membranacea, rubella, vel livida, cavernoſa, gallorum criſtis ſub gutture pendentibus æqualis, modo major, modo minor, præputio continua, vocant: *Nymphas*, inter eas vero a parte ſuprema *Clitoris*, vel *mentula muliebris* eſt, fere tota extra venereum orgaſmum ſub cute latens, vel *præputio* ſuo, magnitudine apicem utplurimum digiti auricularis æquat, non autem perforata eſt; quoad *ſubſtantiam ſpongioſa*, *cavernoſa* & membranacea, hæc admittit etiam ab oeſtro venereo inflationem, *erectionem*, obrigeſcentiam, inſtar penis virilis, œſtroque ſopito flacceſcit, ſubſidet, retrahitur, & hæc omnia quidem intra orificium vaginæ, ſeu uteri externum, ſtatim in conſpectum veniunt in limine vaginæ.

Hic *uterus*, *gravidus*, continet, coercetque *fœtum*, eoque tempore *arctius* ejus *os internum* connivet, ut vix aciculæ caput admittat, imo e quorundam opinione totum clauſum eſt, ſed dilatatur iterum, & magis hiat, prout fœtus creſcit, maxime autem tum inſigniter ampliatur ipſa *uteri cavea*, & ita quidem, ut, quod plane mirum eſt, ejus membranæ, vel ſubſtantia non tenuiores evadant, ſed multo craſſiores fiant; ipſe autem *embryo*, vel *fœtus* duabus cingitur tunicis, quarum altera *Chorion* eſt, externa, duabus e lamellis conflata, quarum exterior ipſi circumjecta eſt etiam rotundæ *placentæ uterinæ*, nullibi externa ſua ſuperficie utero adnatæ, ne fœtum olim exiturum impediat, niſi ad ſupremam uteri fundi partem a potiori, altera tunica eſt: *Amnios*, telæ aranearum tenuitate ſimilis, pellucida, externæ ubique ſubtenſa, & per omnem ambitum inſtar induſii fœtum ambiens, eundemque partim ab omni præmuniens compreſſione, partim & quodammodo nutriens; utraque hæc tunica includit *funiculum umbilicalem*, conſtantem ex una *vena umbilicali*, *duabus arteriis umbilicalibus*, & *uracho*, vaſis, quæ ſemper unita procedunt, & ſingulari materia, quæ ad ſubſtantiam cartilaginis molliſſimæ accedit, continentur, & quaſi conglutinantur, ea enim mollis inſtar pulvinaris vaſa illa fulcit, ſed paſſim ſurculos minimos ad ipſas tunicas emittunt vaſa ſanguinea, donec tandem plurimis ramificationibus radices figant ſuas in *placenta uterina*, quæ *ſecundinarum* nomine aliis venit, ea plenæ lunæ diſci, vel *placentæ* formam, & inde nomen etiam habet, videtur primo intuitu concrementum eſſe coagulati ſanguinis, in quo hæ vaſorum umbilicalium ramificationes innumeræ ſeſe uniunt cum vaſis uterinis, ad fundum uteri pertingentibus; hæc vaſa, hic funiculus umbilicalis, tortuoſus canalis, longusque tubus, ſæpe multis inæqualis nodis, unde ſuperſtitioſæ obſtetrices numerum ſecuturorum infantum hariolari ſolent, per *umbilicum* fœtus in abdomen ejus penetrat, & *vena* quidem *umbilicalis* concavam hepatis partem ad fiſſuram ejusdem ſubit, arteriæ autem utrinque ad latera urinariæ veſicæ deſcendentes ramis arteriæ magnæ implantantur. *Urachus*, qui raro vel nunquam in homine pervius, vel cavus reperitur, e medio urinariæ veſicæ fœtus fundo, tanquam e centro prodit, juxta vel inter umbilicales arterias ad umbilicum pertingit. Ipſe autem *fœtus* omnes jam partes exhibet humanas, quæ per dies perfectiores evadunt, denique autem vero præſente partus tempore perfectus in lucem editur, ubi ſemel quaſi & ſimul anguſtiſſimum alias internum uteri os dilatatione ſua jam ſupra omnem captum majore humanum viam fœtui pro exitu ex utero per vaginam concedit, qua ſane in re ineffabilem Dei ſapientiam neque intelligere ſatis poſſumus, neque admirari.

Poſtquam autem ſic denudata eſt pelvis interna ſuperficies a partibus hiſce memoratis, in conſpectum prodeunt muſculi: *pſoas magnus* & *parvus*, flexores femoris & lumborum, ipſis corporum vertebrarum, præcipue lumbarium lateribus aſſidentes, deinde pars latiſſimi, ſub quo *quadratus lumborum* eſt, *obturator internus*, rotator femoris, nervi lumbares, oſſisque ſacri, ut & ipſæ vertebræ cum oſſibus innominatis & oſſe ſacro, nec non coccyge, de quibus omnibus autem in prioribus capitibus abunde jam facta eſt mentio.

CAPUT VI.

De partibus dissimilaribus, quas arca media, vel medius venter includit.

Perlustrato nunc abdomine transimus ad *medium ventrem*, sub quo eam intelligunt corporis partem, quæ a collo ad septum usque transversum descendit, hoc enim obliquo suo carneo, tendineoque amplo lunato ductu, tanquam paries intergerinus partes vitalibus destinatas actionibus discernit ab iis, quæ naturalibus famulantur, circumscribitur autem tergo superiore, costis, & sterni osse. Ambeunt medium hunc ventrem: primo integumenta communia, deinde quinquaginta novem toti crati, veroque thoraci adjacentes & inserti musculi, octo musculi humeri utriusque; portionesque musculorum capitis, cervicis & abdominis, tertio cratis totius ossa, & quarto *pleura*; quæ non modo intus arcam omnem obducit, sed & ejus contenta singula involvit. Intra hanc arcam sunt partes ipsi vitæ immediate servientes, extra ejus cavum ponuntur *mammæ*, intra illud autem: *Mediastinum*, *pericardium*, *cor*, *trachea cum bronchiis*, *vasa majora sanguinea*, *thymus*, *oesophagus* vel *gula*, de quibus omnibus & singulis ordine plura.

Mammæ, tenerrimæ sensilitatis ob nervos ad eas excurrentes, ornamenti ergo & symmetriæ datæ, maxime autem lactationis causa creatæ in feminis, in utroque antico pectoris latere sitæ sunt, singulæ pectoralibus insident musculis, in feminis multo pleniores & perfectiores ac in viris, ibique multo magis intumescentes naturaliter, ad magnitudinem pomi maximi, molles, cedentesque ad tactum, præcipue constant e *substantia glandulosa*, specie *glandulæ conglomeratæ*, multis discretis distinctæ portionibus, & massulis glandulosis laxe per tenacem cohærentibus cellulosam, pinguedine molli multa fultis & cinctis, vasisque pertextis plurimis, in medio vero mammæ, tanquam in centro spongiosa, utcunque tenax *papilla* sedet, quæ, ubi fricatur, erigi, & post flaccescere iterum solet instar virilis membri; omnis ergo mammarum substantia glandulosa est, ex albis, carneique coloris glandulis coagmentata, membranacea, & valde vasculosa, consumit autem totam ætas & senectus, ut integræ mammæ decrescant iterum & evanescant fere.

Mediastinum oritur de pleura, subtensa costis, ubi enim hujus uterque saccus in medio ventris hujus circa dorsi spinam confluit, & a spina versus pectoris os assurgit uterque paries, non tantum ipsam arcam, ejusque cavum in duas dividit partes, sed & ipsum *cavitatem* in medio relinquit satis notabilem, *duplex* enim est ex admoto pariete uno singulorum pleuræ saccorum. Membrana hæc mediastini, uti superne sterno adhæret, ita pericardio cohæret a posticis, infra vero diaphragmati, percurrunt etiam eam exigua vascula.

Pericardium, tunica cor involvens, expandit se ab anticis ad utrumque latus, superne ad basin cordis latissima, deinde acuminata, convergens, eo usque cava, quousque opus est, ut cor libere intra eam possit moveri, quare unius est, ejusdemque cum corde figuræ, tunica densa, dura, tenax, extus fibrosa, inæqualis, intus polita & concava, mediastino, pleuræ, diaphragmati adnexa, ubique integra, exceptis iis locis, ubi vasa cordis egrediuntur, exilibus pertexta vasculorum ramulis, continet semper humorem tenuissimum, gelatinosum, est: *Liquor pericardii*, quo irrigatur cor, ejusque superficies externa, ne continuo motus exercitio fibræ siccentur & flexilitatem exuant, extillat hic liquor forma vaporis, quem in vivo sola copia coagulat & colligit in liquorem, in cadavere frigus majori quantitate condensat, unde copiosior etiam in hoc reperitur; sunt, qui dicunt: aquam e vulnerato latere Adorandi Salvatoris adeo mirifice affatimque profusam fuisse hunc ipsum pericardii liquorem.

Cor, nobilissimum ventris medii contentum, principium caloris & vitæ, pyramidale fere forma, substantia densum & carneum, tenuissima obductum est pellicula, & in medio fere arcæ situm, ad costam quintam veram sub pulmone sinistro, cujus alæ vel lobi, eum in finem exsecti cor involvunt quasi, superne ad caput suum, vel *basin*, ubi vasa exeunt, & adnata sunt, valde latum, sensim vero & sensim angustius, terminatum in apicem obtusum, qui paululum ad sinistrum declinat latus, a parte maxime antica paulo planius, a postica magis convexum, sex fere digitos longum, & quatuor latum, altumque. Cordi huic superne pinguedo apposita est multa, & additæ sunt *auriculæ duæ*, quæ muniant portas cavitatum, sive *ventriculorum cordis*, & *venoso* affluenti sanguini diverticulum faciant, sunt hæ auriculæ molles, tenues, fibrosæ atque membranaceæ, *dextra* quidem, quæ major est, dextro data est ventriculo, *sinistra* minor sinistro. Dextra recipit *sinus* & *saccos venosos*, multo amplior altera & capacior, influit in eam e

fora-

foramine venæ cavæ admodum patente ſanguis naturalis, ibi retentus per *valvulas tricuſpidales*, quæ per fibrillas, tanquam ſua vincula *ſepto cordis*, & maſſulis inde prodeuntibus carneis adhærent, idem autem ille venoſus cruor corde receptus dextro ex eodem expellitur iterum partim per *arteriam pulmonalem* ſubeuntem pulmones, (hujus principio aſſident *valvulæ ſemilunares*, *utriculares*, *tres*, quæ dimidiatæ lunæ formam habent, ſanguinisque recurſum impediunt,) partim vero per *foramen ovale* in fœtu, quod eſt ſupra *ſeptum cordis*, imo ſuſpicantur aliqui, ſed ridicula certe hypotheſi, etiam in adultis per ſeptum hoc, licet non pellucidum, cavum, aut foraminibus pervium exprimi tamen & percolari aliquid ſanguinis, hoc enim ſeptum, paries intergerinus utriusque cordis ventriculi, valde denſis, ſpiſſisque conſtat e carnibus; in *ſiniſtrum cordis ventriculum*, craſſiorem & anguſtiorem exonerat ſe *vena pulmonalis*, & refert ſanguinem multo tenuiorem, ſubtiliſatumque magis a motu & activitate pulmonum, floridiorem & perfectiorem, illa vero reducens *vena pulmonalis valvulas* intus *duas mitrales*, epiſcopali ſimiles infulæ habet, quæ regreſſum cruoris prohibent, isque cruor repurgatus jam intra pulmonem, & ab actione vaſorum ejus partim denſatus in minimis moleculis, partim reſolutus quoad cohæſionem integræ maſſæ, infuſusque cordis *antro* huic *ſiniſtro* expellitur iterum ex eo, & projicitur per *arteriam magnam*, ſive *aortam*, quæ arteriarum reliquarum omnium, excepta pulmonali, truncus eſt & radix, *ſubſtantia* ejus denſa, dura, tenax eſt, & habet pariter prope ſuum orificium *tres valvulas ſemilunares*, vel *utriculares*, quæ remeaturum impediant ſanguinem. Et eſt certe mirifica valde ſtructura cordis, quod eſt *Arbor vitæ*, multo magis mira eſt ejus functio, ſed miraculis veris plena eſt permutatio quatuor horum vaſorum, quæ aliter ſe habent in fœtu, aliter in adultis, cor enim hominis, qui libero in aëre vivit, continuo agitatur motu, quod in fœtu, qui utero adhuc eſt concluſus, multo movetur obſcurius; hinc provida Natura, vel Divina potius ſapientia ordinavit, quoniam in fœtu ob hunc obſcuriorem cordis motum, & maxime quietem pulmonis non potuit huic multus afferri ſanguis, ut extra cor vena cava in dextrum cordis ventriculum patula commercium haberet cum vena pulmonali, vaſe ſiniſtri ventriculi, vel certe, ut ſanguinis venæ cavæ maxima pars poſſet ibidem effundi, ubi effluit venæ pulmonalis cruor, ſcilicet per *foramen ovale*, quod mox ſub dextra eſt auricula, utque arteria magna, ſiniſtri ventriculi vas, ſiniſtra ſub auricula cordis per canalem, qui dicitur: *canalis*, vel *ductus fœtus arterioſus*, cum arteria pulmonali connecteretur & uniretur, ut e pulmonali arteria ſanguis derivaretur in aortam, & qui per venam cavam influxit dextro cordi, per ovale foramen trajicere magna parte mox in ſiniſtrum poſſet ventriculum, qui effectus in adultis ceſſat, quoniam in his & *ovale foramen* occluditur, & *arterioſus* ille *canalis* coaleſcit in ſpeciem ligamenti, quo facto libere ſanguis omnis per venam cavam e toto redux corpore per arteriam pulmonalem projicitur in pulmones, eorumque omne trajicere quaſi punctum debet, ante ad corpus quam per aortam diſtribui rurſus poſſit. *Aſpera arteria*, vel *Trachea*, fiſtula quaſi & canalis, poſita eſt ante ſuperiorem *gulæ*, vel *oeſophagi* partem, ſuper qua, vel & juxta quam per collum deſcendit ad pulmones, in quibus deinde radices agit ſuas, duabus autem inveſtitur tunicis, quarum exterior eſt e pleura, interior productio ejus membranæ, quæ ab ore, palato, faucibusque deſcendit, gulæque non minus ac ventriculo, & inteſtinali toti tubo communis eſt, habet multas fibras robuſtas, intertextas pinguedine, ceterum, quoad maximam partem cartilaginea eſt, & in *caput* & *tracheam* ſtricte ſic dictam dividitur. *Caput*, vel ſumma ejus pars *Larynx* eſt, cui ſuperne *tonſillæ*, *amygdalæ*, *antiades*, *pariſthmia* inſuper adhærent, conſtat hic larynx e quinque cartilaginibus, *epiglottide*, *thyreoidea cartilagine*, *cricoidea*, duabusque *arytænoideis*; ipſe tubus, qui ab eo larynge ſolus, tanquam truncus deſcendit, *Bronchus* dicitur, conſtans a parte antica & utrumque ad latus ex *annulis*, dimidiatisve circulis *cartilagineis*, admodum ſcite coagmentatis, carneoque quaſi ligamento connexis, a poſtica parte annulorum verſus dorſum & vertebras ſuper oeſophago cartilagineæ ſubſtantiæ defectum membrana quadam, nectente cartilaginea extrema, rotunditatem orbicularem, circulosque perficiente. *Trachea* hæc haud longe infra claviculas in duos findit ſe notabiles ramos, quos vocant: *Bronchia*, ducuntur hæc in ipſos *pulmones*, eosque ſimulac attigerunt, ſervato priori nomine, denuo divaricantur, & dividuntur, ut quæque pulmonis pars, & ſinguli *pulmonum lobi* ſuos accipiant ramos, bronchia enim hæc in utroque pulmone ramis innumeris inter arterias, venasque pulmonicas, aut pneumonicas, ſuas projiciunt radices, vaſisque ſanguineis varia ratione nectuntur. *Pulmo*, Reſpirationis officina & inſtrumentum præcipuum, poſitus eſt in *cavum thoracis*, aut pectoris, &, ubi aëre plenus eſt ab inſpiratione, fere totus repletus tumet, formamque fiſſæ bubulæ ungulæ induit, ſuſpenditur quaſi per mediaſtinum, cujus ope anterius ſterno, poſterius vertebris adhæret, diviſus eſt in *dextrum* & *ſiniſtrum pulmonem*, quorum uterque magnitudine parum

differt, ſiniſter tamen in *duos* fiſſus eſt *lobos*, quorum alter *ſuperior* eſt, *inferior* alter, dexter *tres lobos* habet, ſuperiorem, medium & inferiorem, *ſubſtantia pulmonum* laxa, tenuis, mollis & ſpongioſa eſt, tenera obducta pellicula, quæ foraminulis pertuſa eſſe videtur, a parte maxime poſtica, & latera vertebrarum fibrillis plurimis adnata; in fœtu quidem, ubi obſcurius movetur cor, & parum per pulmones tranſit ſanguinis, multo denſior, robuſta, rubra, hepatique fere ſimilis eſſe ſubſtantia videtur, quamprimum autem cor evidentius movetur, & cruor per pulmones omnis agitur, incipit rareſcere, ſpongiæque ad inſtar tenera & mollis, colore quoque albidula evadere, vel & obſcure flava, *vaſis* ejus & *bronchialibus aëreis*, & *ſanguineis* circumfuſa eſt, quemadmodum vaſis in hepate, propria quædam caro, *parenchyma pulmonum*.

Eſt præterea ibi loci, ubi trachea ſe in bronchia findit, & majora prorepunt e corde vaſa, *Thymus*, mollis, & ſatis lata maſſa, infantibus major ac adultis, quoad ſubſtantiam tota quanta *glanduloſa*, mollis, tenera, ſpongioſa & alba, tenerrimis vaſorum pertexta ſurculis, proxime ſub ſummo ſterno ſita, & ſubjacentia vaſa præmuniens ab omni preſſione, aliave injuria.

Gula, *oeſophagus*, tubus cibarius, membranaceam habet ſubſtantiam, tribus e membranis compoſitam, quarum prima & extima oritur de ligamentis vertebrarum, altera *carnea*, *muſcularis*, e multis transverſalibus vel circularibus contexta fibris, tertia & intima ſimpliciter membranacea eſt, cum ore, palato, labiis, faucibusque communis, *fibris*que multis rectis, *longitudinalibus* permixta, de reliquo longa & fere cylindrica gula eſt, pars ejus ſuprema faucibus & linguæ radici adnexa eſt, *Pharynx* dicta, ibi ſuper eam, & ad ejus latera *tonſillæ* ſunt, continuo tenui madentes muco, ſpecie ſalivæ, inferius autem extremum orificio ventriculi ſiniſtro unitur, & in illud patet; deſcendit hic oeſophagus de larynge, ubi principium ſuum habet, ſub ipſo larynge, vel ad ejus latus, per intima colli, pone pulmones, verſus diaphragma, recta quidem ad quintam uſque dorſi, thoracisque vertebram, ubi ſe trachea findit, & oeſophago magnæ illæ appoſitæ ſunt *glandulæ*, ab eo vero loco aſſurgit aliquantum dextrum verſus latus, mox tamen iterum ſub vena cava ſiniſtrum verſus reclinatus, tranſcendit arteriam magnam, elabitur ſub diaphragmate, finitus tandem ad *os ventriculi*, cui adnatus eſt.

Quemadmodum vero *diaphragma* diſtinguit & *ſeparat infimum ventrem*, qui culinam corporis condit, transverſe ab *arca media*, quæ vitæ officinam continet, ita & hunc *medium* ventrem a *ſupremo*, qui animæ domicilium eſt, ſeparat *collum*. Omnesque hæ partes, quemadmodum & extremitates, manus & pedes, per oſſa & muſculos cohærentes, vaſa inter ſe communia habent, per diaphragma enim ſubrotundum, transverſim poſitum, & a parte ſuperne pleura obductum, ab inferna peritonæo, ad extrema carneum e multis compoſitum denſis fibrarum faſciculis, in medio membranoſum totum & tendineum, carnea parte corbi quaſi coſtarum ſpuriarum adnatum, tres magni tranſeunt canales, quos per foramina ſatis magna id transmittit, ad dextram quidem *Vena Cava* tranſit, ad ſiniſtram oeſophagi tubus, cujus lateribus multi ſurculi nervei adhærent, imo vero, ubi ab illo arcu carneo tendineo diaphragmatis deſcendunt duo ejus capita, rimam hæc in medio vel fiſſuram vertebras verſus relinquunt, quæ inter aortæ truncus decurrit, & extremum azygæ aſcendit. Per collum, quod media eſt pars inter caput & pectus, compoſita ex integumentis, muſculis & vertebris, quarum per ſpecum ſpinalis medulla deſcendit, aſcendunt carotides & vertebrales arteriæ, deſcendunt venæ jugulares, par nervorum vagum cum ramulis ſuis ad latera poſitis, nervis recurrentibus. Et ſic ſinguli ventres, ſingulæ arcæ impertiuntur aliis e gazophylacio ſuo nobiliſſimi ſui contenti viſceris egregias divitias, atque, quantum poſſibile fuit, exoptatiſſima conſpirant inter ſe harmonia.

CAPUT VII.

De partibus diſſimilaribus, quas caput comprehendit.

SUpremus, tertiusque *venter Caput* eſt, globo ſimile, *collo* inſiſtens, hoc a poſticis & ſuperna parte piloſum, ab anticis *faciem* habet, vocant ejus contenta omnia uno nomine Anatomici *Encephalon*, id autem concluditur & obtegitur *integumentis communibus*, *pericranio*, *perioſteo*, duabusque, vel tribus matribus, aut meningibus, & oſſibus, de quibus ſupra dictum fuit. Jam vero addenda eſt hiſtoria partium ejus diſſimilarium, quæ inveniri & ſpe-

& ſpectari poſſunt ut in ejus *parte capillata*, ita & in glabra, id eſt, facie.

Cerebrum, ſedes *facultatis animalis*, & nobiliſſimum viſcerum omnium, & frigidiſſimum, explet omnem *calvariæ* ollam, formamque ſuperficiei ejus internæ induit; hinc cerebrum humanum, quatuor aut quinque libras æquans pondere, maximum eſt, dividitur a proceſſibus vel productionibus matrum ſuarum interjectis, maxime ab illo, qui falcem æquat, & *proceſſus duræ matris falciformis* audit, cui *longitudinalis* inhæret *ſinus*, per longitudinem, in *hemiſphæriun* dextrum, & ſiniſtrum, a reliquis vero duobus matrum earundem proceſſibus per transverſum dividitur ad poſtica & ſeparatur a cerebello, ſalva manente cerebri ſuperficie inferiore, vel baſi. *Subſtantia cerebri* alba eſt, mollis, humida, maſſæ ſingularis, extus plurimis ambagibus teretibus, gyrisque conſpicua, inſtar inteſtinulorum, intus autem plurimis arteriarum, venarumque ſurculis pertexta, vix conſpicuis, docent autem apparentia *puncta ſanguinea*, *rubra*, ubi ſubſtantia ejus diſſcinditur, & diſſecta paululum premitur, quando autem interiora cerebri attento perluſtramus oculo, in conſpectum prodeunt: *Corpus calloſum*, albidiſſimum, reliqua cerebri maſſa paulo ſolidius, & elatum, *quatuor ventriculi*, vel cavitates *cerebri* naturales, *plexus choroideus*, *fornix*, *pedes hippocampi*, *glandula pinealis*, *glandula pituitaria*, *pelvis*, *cerebellum*, *proceſſus vermiformes*, & *medulla oblongata*. Hinc, ubi hemiſphæria, quæ proceſſus falciformis dividit, a ſe invicem diducis, & ad latera premis, mox apparet *calloſum corpus*, pulcherrima nitens albedine, denſum & ſolidum, ſub eo eſt ſpeculum, ſeu *ſeptum lucidum*, *pellucidum*, ejusdem cum cerebro ſubſtantiæ, protractumque ad anteriora interno latere ventriculos cerebri anteriores ſepti ad modum dividens. Sunt vero hi *anteriores ventriculi* magni, admodum ampli, oblique quaſi cerebrum ſuffodientes, dimidiate rotundi, pelliculaque tenuiſſima tecti, apotheca & officina ſpirituum animalium, pertexti omnem ſuam per ſubſtantiam ſanguineis vaſculis minutiſſimis, a vaſis choroidei plexus oriundis. Eſt autem ſub calloſo corpore *cochleà*, *fornix*, inſtar veri exaſciata fornicis, albus, ſolidus, figuræ fere triangularis, extus convexus, intus cavus, atque ſub eo *plexus* eſt *choroideus*, e venulis conſtans, & arteriolis, pellicula tenerrima connexis, & ad intima ductus *ventriculi tertii* penetralia. Is vero *tertius ventriculus* tum demum ſub oculos cadit, ubi fornicem removes, eſt hic exigua exaratus, perviusque rima, *crena*, & eſt inſtar foſſæ, in quam anteriores pertingunt ventriculi, duosque ductus, per conſequens duo foramina habet, quorum anterius amplum ſatis cavum eſt, compoſitum e *pia matre*, *infundibuli* forma, ſuperne ampli, ſed ſenſim anguſtioris, unde quoque *pelvis* nomine inſignitur, pertingit hoc infundibulum ad *glandulam*, uſque *pituitariam*, quæ carne conſtat ſpongioſa, imbibente pituitam, pia matre obvoluta eſt, *ſellæque turcicæ* caveæ inſidet; ad latera hujus artificioſa *circuli* vel *retis arterioſi* ſtructura ſpectari poteſt. Poſterius autem foramen extenditur in *quartum* uſque *cerebri ventriculum*, ubi *glandula pinealis* eſt, duriuſcula, ex albo flava, fere ad poſtica fornicis poſita, latensque, pone hanc glandulam, quatuor ſunt monticuli, pomorum inſtar minorum, quibus margo calloſi corporis aſſidet, diſtincti autem ſunt hi monticuli foſſula, minore ſulco, vel potius linea, formantque *nates* hæ, *teſtes*que *cerebri*, uti vocantur ab Anatomicis, canalem ſubtus, qui e tertio cerebri ventriculo ducit in *quartum*, e canale hoc & cerebri medulla compoſitum. *Quartus* hic *ventriculus* a principio, ut liberior ſit ſpirituum animalium influxus, valde amplus eſt, ſenſim vero in medullà coarctatur, ut tandem ad infima cerebelli ad modum *calami ſcriptorii* convergat, eam circa regionem cerebello medulla cerebri eſt connata, cerebellum autem ſedem ſuam ad poſtica habet, & a cerebro ſeparatur per interjectos *proceſſus duræ matris transverſales*, quibus duo illi *ſinus cerebri laterales* inhærent, numero ſequentes proxime primum illum *falciformem*.

Cerebellum, tumidioris adhuc ſuperficiei, non gyros habet, dimidiosque circulos, uti cerebrum, ſed lineis planis & declivibus exaratum eſt, ejusdem cum cerebro ſubſtantiæ, complectitur, habetque duas *protuberantias*, non abſimiles teredinibus, minor autem eſt ſuperior, inſtar ciceris, natibus cerebri appoſita, patulumque ſervans tertii ventriculi ductum, in quem pelvis pertingit, inferior autem, & major protuberantia inſidet medullæ, cuſtoditque ventriculum quartum, ne comprimatur.

Ab hoc & cerebro & cerebello *medulla* oritur *oblongata*, cerebrum in longum quaſi eductum, eaque deſcendit inter cranium, dorſique ſpinæ vertebras ad extrema uſque ſacri oſſis, plurimorum etiam nervorum origo; *ſubſtantia* ejus paulo ſolidior eſt, ac ea cerebri, ubi ſpecum vertebrarum ſubiit, involucra tria membranacea, *tres vaginas* habet, extimam quidem a forti ligamento, quod portiones vertebrarum anteriores colligat, continuoque muco aliquo madet, reliquas duas a matribus cerebri. *Medulla* hæc, quæ intra vertebras audit *ſpinalis*, intus pia matre diviſa eſt, (ut apparet, quando aſſatur, vel coquitur,) ut maneat utrinque ductus, ad vertebram autem thoracis, vel dorſi ſextam apparet manifeſto contexta e multis filis, fibris, faſciculis, ubique

plurimos de ſe mittit *nervos*, e multis hujusce modi filis compoſitos.

Et hæc quidem continentur *parte capitis capillata*, cujus *capilli* pronaſcuntur e recremento tertiæ, ultimæque coctionis, tanquam ſua materia; nunc apparent in glabra capitis parte, quæ *Facies* eſt, *aures*, *frons*, *oculi*, *nares*, *os*, *dentes*, *lingua*, & *palatum*.

Aures, ad quarum radices ſunt *glandulæ parotides*, pone aures poſitæ, *ſalivam* ſecernentes, & fere ſub mentum uſque deſcendentes, formæ ſunt arcuatæ, ac fere inſtar vanni, conſtantes extus e molli cartilagine, intus autem ex oſſe petroſo. De ſuperficie illarum externa, de vaſis earum, & muſculis alibi jam dictum eſt, nunc de *interioribus* ejus. Intra *petroſum os* quatuor ſunt *cavitates*, quarum prima eſt *meatus auditorius*, in quem *concha* ducit, hic meatus auditorius oblique ſurſum fertur, tenditque ad teneram *tympani membranam*, quæ compoſita eſt e perioſteo & nervo, ſicca, orbicularis, pellucida, firma tamen, intus adſidentia ſibi habens *tria*, vel *quatuor auditus officula*, ſcite admodum coarticulata, & a figura dicta *malleus*, *incus*, *os orbiculare*, *ſtapes*, conglutinata inter ſe per intervenientes cartilagines, tenuesque ligamentoſas membranulas; illa vero tympani membrana oblique ſuper extenſa eſt alteri cavitati, eamque a priore ſeparat. Eſt autem ſecunda illa cavitas *Tympani Cavum*, cui aër ille incluſus eſt, nullo externo agitatus motu in prima ſua origine, implantatæ autem ſunt ibi membranæ intus, vel potius *mallei capiti* fibrillæ *muſculares* adnatæ, præterea vero ſunt intra cavum hoc duo foramina, orificia ductum e directo ſibimet invicem oppoſitorum, alterum eſt: *feneſtra ovalis*, ſurſum ſpectans, ducensque, alterum eſt minor, & quaſi cartilaginea, deorſum quaſi depreſſa, & magis occulta, *feneſtra rotunda*, quæ videtur ad fauces ducere, circa quam durior projecta eſt ſubſtantia. Tertia cavitas non abſimilis eſt cryptis, aut chaſmatibus metallifodinarum, & *Labyrinthus* vocatur, ob varios ductus & anfractus, qui, ut acutior fieret ſonus, exaſciari retro debuerunt intra petroſum os. Quarta denique cavitas eſt cœca, tumida cochleæ cavea, *Cochlea* dicta, has omnes per cavitates minutiſſimis fibrillis & chordis, zonisque diſtributa eſt *mollis nervi auditorii portio*, cranio egreſſa, & per foramen petroſi oſſis auditus organum oſſeum ingreſſa, plenum eſt hoc os foſſulis & mæandris, quaſi cancellatis, & mire inter ſe communicantibus & conſpirantibus.

Frons, pilorum expers, ſub anteriore capitis oſſe poſita eſt, & valide corrugari, multum etiam tendi & applanari poteſt, ſatis lata, & glabra, extendens ſe ad *piloſa* uſque *ſupercilia*, ſub quibus *oculi* ſunt, cava concluſi *orbita*, mollibusque, obſequioſis tecti *palpebris*, ſinguli quidem inferiore immobili, ſuperiore mobili, ad extrema cartilaginea utraque ab implantata cartilagine *tarſo*, pilis, quos *cilia* vocant, ornata, utrinque *angulos* efficiente, vel *canthos*, alium *internum*, eumque majorem, ſub quo ad naſum *caruncula lachrymalis* eſt cum *punctis lachrymalibus*, per quæ lachrymæ prodeuntes *ductu lachrymali* receptæ in nares fluunt alium vero minorem, *externum*. Ipſe *oculi bulbus*, vel *globus* ſex habet muſculos, quibus regitur, multa permixtos pinguedine, hi muſculi circumjacent nervos, maxime autem exteriores oculi membranas, quæ ſanguineis vaſis multis, arterioſis, venoſisque a ramis externæ carotidis pertexuntur; nervorum tres maxime notabiles *oculus* habet, *opticum*, qui centro ejus implantatur, & patheticum, abducentemque, qui ad muſculos præſertim diſtribuuntur. Habet vero etiam ſuas *Tunicas*, ſuosque *Humores*; tunicæ oculi ſunt: extrema quidem, *Adnata*, *conjunctiva*, vel *Albuginea*, quæ alba eſt, tenuis, robuſta, oculumque, ne orbita excidat, intus ad eam religat, ejusque marginem extremum; altera eſt *Choroidea*, livida illa, quæ pone *pupillam* & *iridem* eſt, *Iris* enim eſt coloratus ille internus orbiculus, coloribus diſtinctus multis, fibrisque *ciliaribus* radiatis, circumaſſidens quaſi foramini, per quod cryſtallina lens, ſpeculi ad inſtar prominet, quodque *pupilla* vocatur, appellant alii choroideam hanc innominatam, porro eſt *Cornea*, quo nomine duram, denſam, tenacemque omnem illam tunicam intelligunt, quæ ab extus vaginæ inſtar globum totum coërcet, alii autem dividunt in *corneam* proprie ſic dictam, partem ſcilicet eam anteriorem, quæ cornu inſtar pellucida eſt, ſegmentum circuli, & alteram opacam, quæ *ſclerotica* eſt, dicunt enim, eſſe corneam nonniſi mutatam pauliſper & degenerantem ſcleroticam, exiſtimarunt Veteres: corneam hanc & ſcleroticam, omnem inveſtientes globum eſſe tantum propagines duræ matris, quæ ad globum uſque nervum comitatur opticum, ſed falſum id eſt, addit tantum ſcleroticæ nerveæ ſuæ vaginæ finem opticus nervus, cornea illa in multas facile dividi lamellas poteſt. Eſt ulterius *Uvea tunica*, inſtar uvæ nigræ nigra, quam ſuſpicabantur veteres piæ matris productionem eſſe, tenerrima hæc eſt anterior choroideæ quaſi pars, cum ea enim ſubtenſa eſt omni ſcleroticæ internæ ſuperficiei, nucleumque quaſi cutaneum bulbi conſtituit, duplicatur, ut choroidea ipſa, iridis ad radicem. Denique *Retina* eſt e ſubſtantia ipſius nervi optici bulbum ingreſſi nata, diffuſa, & expanſa per *cameras oculi*, maxime poſteriorem, candidiſſima & molliſſima, inſtar muci, uveæque adhærens,

rens, accedunt his ipſæ illæ tunicæ, quæ humores oculi concludunt.

Humores oculi ſunt: *humor aqueus*, vere aqueus, copioſiſſimus, in anteriore oculi camera ſub cornea fluens, & bulbi fere dimidium replens, quin & poſterioris cameræ certe partem ſubiens; deindè *humor cryſtallinus*, *lens cryſtallina*, minima omnium humorum dictorum, & ſolidiſſima, glaciei, vel cryſtallo pellucidæ ſimilis, quaſi anima oculi, medium ejus occupans, forma lentis microſcopicæ vitreæ, utraque ſuperficie convexæ, hæc cingitur *arachnoidea tunica*, ſimili cortici cepæ, cujus peripheriæ aut limbo adſtat *ligamentum ciliare*, cujus rectæ radiatæ lineæ, *proceſſus ciliares*, qui aliquam cum ciliis externis analogiam habent, ſed conjunguntur & uniuntur illi proceſſus per tunicam arachnoideam & uveam. Denique *humor* eſt *vitreus*, magnitudine atque ſoliditate medius inter priores, a poſticis poſitus, tunica ſingulari coërcitus, & leni foſſa conſpicuus, cui cryſtallinus humor parte ſua convexa inferiore inſidet, reliqua pars & peripheria planior humori ſubjacet aqueo.

Naſus, in medio faciei prominens, olfactus quaſi munimentum eſt, per ſeptum diviſum in *Nares*, quæ inflantur & ſe contrahunt iterum, factus eſt ex oſſibus, quorum ſuperioribus tres appoſitæ ſunt *cartilagines*, quarum pares *alas*, *pinnas narium* efficiunt, tertia *ſepto* additur, vel maximam ejus partem conſtituit. Sunt intus, & repunt intra nares multa *vaſa ſanguinea* ex arteriis carotidibus, venisque jugularibus, nervi etiam primi, tertiique paris, maxime quoque *membrana pituitaria*, quam e dura matre ortam ſuſpicabantur Veteres, mucipara, & acute ſenſilis, communis cum ore, lingua, faucibus, palato, oeſophago & inteſtinis, & omnibus ſuperinducta narium oſſibus & mæandris.

Os duo efficiunt *Labia*, e carne compoſita mobili, tumor ille arcuatus, rubicundus, marginalis nomine *Prolabiorum* venit, moventur varios per muſculos, ut ipſa maxilla inferior, & ligamento adhærent, quod maxillam temporis oſſi alligat. In maxillis *triginta duo* ſtant *Dentes*, quorum primordia embryo jam generat, licet poſtea demum, ubi natus eſt homo, poſt aliquod tempus perfectionem plenam nanciſcantur, habent namque maxillæ ſuis in foſſulis, aut *alveolis* ſubſtantiam, ſuperne oſſeam, inferne autem ſpongioſam, laxam, imo vere mucoſam, alba pellicula corticoſa obductam, pro perfectione dentis continuo magis firmata, & patente aliquantum, ubi extra maxillam excreſcunt dentes, alveoli autem ipſi duos vel tres diſtincti ſunt in ordines & cancellos, unde, ubi ſemel vel bis dentes excidunt, novi ſuccreſcunt, in quibus, quoniam adhuc teneri ſunt, albus eſt ſuccus, qui denique in oſſeam occalleſcit naturam & ſubſtantiam. Obducit dentes membranula ſenſilitatis acutiſſimæ, ad quam, ut reſtituatur id, quod de dentibus deteritur, ut naturalis calor conſervetur, & ut id etiam, quod ſenſu caret, nutriatur, accedunt vaſa, deinde vero dentibus ad extremos maxillarum margines apponitur undique firma & immobilis *gingiva*, terminant etiam, limitantque ipſius *oris caveam*.

In ea cavea ſupra *palatum* eſt, oſſeum, & carnea pelle obductum, concavum, duobusque foraminibus, per quæ nervi quinti paris deſcendunt, præditum; ad poſtica obſequioſum totum membranaceum eſt, vocant *mobile palatum*, uti ſuperiorem portionem *ſtabile*, *fixum* & *immobile* nominant *palatum*, ad finem ſuum illud mobile, *pendulum* in ſua quaſi duplicatura habet *uvulam*, *columellam*, portiunculam oblongam, ſubrotundam, ad quam duo ſunt meatus e naribus in os, ſub ea uvula jam *Fauces* incipiunt.

Intra *Fauces* has *principium gulæ* vel *oeſophagi* eſt, cui ad latera *tonſillæ*, *amygdalæ* ſunt appoſitæ, mucoſæ, ſatis magnæ glandulæ, tenui plenæ muco, quo linguam, os, aliasque partes vicinas irrigant; deinde intra fauces has *tracheæ caput*, *Larynx* eſt, e *quinque* compoſitus *cartilaginibus*, earum prima eſt *Scutiformis*, *Thyreoidea*, cujus anticus tumor *Adami pomum* dicitur, quod extus tangi poteſt, intus cavum, extus gibbum & ſurſum tendens, per lineam quaſi diviſum, ac tam ſuperne, quam inferne duabus diſtinctum prominentiis, altera *cartilago cricoidea*, vel *annularis*, annulo Turcico forma ſimilis, ambiens laryngis, vel tracheæ potius caput, & pervium ſervans, diſtinguens etiam a poſticis tracheam ab oeſophago; tertiam quartamque cartilaginem *duæ* conſtituunt *arytænoideæ*, gutturnium quaſi repræſentantes, concurrentes enim ſuperne duæ hæ laminæ cartilagineæ formam efficiunt ſimilem ori gutturnii, ab inferiore autem parte, vel intus potius *rimam* ad perpendiculum poſitam relinquunt, quæ *glottidis rima* eſt, ubi nimirum altera diſſidet a ſua ſocia cartilago arytænoidea, imo multi hanc pro ipſa venditant *glottide*, quæ proprie conſiſtit in illis ligamentis tranſverſis, arytænoideas cum thyreoidea committentibus, & mucoſa laryngis interna membrana communi obvolutis, in angulum planum thyreoideæ cartilaginis inſertis, eaque ligamenta poſſunt diduci a ſe invicem, remotis a contactu arytænoideis cartilaginibus, poſſunt iterum adduci ad ſe invicem, & conjungi, quoties ipſæ cartilagines appropinquantur ſibi mutuo, nataque inde *glottis vera* continua eſt, ſed ad angulum rectum cum rima modo deſcripta. Has cartilagines quatuor obvolvit & colligat commu-

nis membrana quædam, quæ in ſummo utrinque foſſulas impreſſas habet, quibus quinta cartilago pontiformis inſidet, *Epiglottis*, forma ſolioli hederæ, ſubſtantiæ mollis, ea quidem erecta ſemper apparet, ſed, ubi edimus, vel potius deglutimus, egregio eo mechaniſmo, quo contra linguæ radicem, hærentemque ſub ea epiglottidem laryngem attollimus, toti laryngis ori, glottidisque rimæ apprimitur, ut ne guttula quidem fluidi, ſolidive micula illabi temere poſſit, ſuperinducitur enim ori univerſo, illudque claudit, tegitque. Quodſi autem caſu aliquid irruat, id mox ſenſilem internam tracheæ membranam irritat, excitatque tuſſem, qua excutiatur iterum, utpote impediturum, & interrupturum reſpirationem, ſi ad extremos bronchiorum fines excurreret.

Huic laryngis capiti ſuis *cornubus* affidet bifurcatum *Hyoides os*, quod de faucibus, & linguæ radice huc deſcendit, & non linguæ modo, ſed & ipſius integri laryngis motus determinat. *Lingua* vero inſtrumentum eſt & *guſtus*, & humanæ *vocis*, cujus magnam quoque partem e laryngе, tracheaque repetimus, lingua hæc anguillæ inſtar verſatilis eſt, poſſumus enim ea, tanquam radio deſcribere quaſi circulum, & eam in rotundum ducere, contrahere, prolongare, breviorem reddere, in tumorem inflare, ſurſum elevare, deprimere deorſum, & ad latera flectere. *Subſtantia* ejus mollis eſt, laxa, ſpongioſa, carnea, non autem fibroſa, ſubjacet palato intra os, ad poſtica latior eſt, & craſſa, ſed ad dentes, a quibus duplici ſepto æqualiter ſeparatur, anguſtior & acutior, alligata oris fundo forti ligamento, cui ſæpe quaſi funiculus in recens natis infantibus adnatus eſt, qui *linguæ frænulum* vocatur, & ſolvi debet. Habet etiam lingua *vaſa* multa *ſanguinea*, tam a parte ſuperiore, quam inferiore, magnas illas, valde conſpicuas *venas raninas*, vel *ſublinguales*, ſunt illa vaſa omnia rami jugularium, & carotidum, *nervos* per ſua involucra in papillas digeſtos, molliores a pare quinto guſtatorio duos ramos, duosque duriores a nono, linguali. Licet autem ipſa hæc lingua tota, quanta muſculum referat, multos tamen alios etiam, quibus regatur, implantatos habet ſibi muſculos.

Quæ plura de mirifica hac addi lingua poſſent, meæ non admittunt, ut ſuppleam, vires. Regamus ergo linguam hanc & coërceamus, utpote loquelæ miniſtram & eloquentiæ, utamur ea, ut laudet Deum, ejusque gratia proximum bona doceat multa, laudemus ipſum hunc linguæ theſaurum, tanquam ſummum Dei miſericordis donum.

Supereſſet adhuc explicatio hiſtorica membrorum externorum, quoniam vero de integumentis eorum, ut epidermide, cute, reliquisque, quin & muſculis, vaſis, oſſibus, & omnibus iis, e quibus conſtant, partibus potiora prælibavi, itaque vix neceſſarium duco, ea ut hic operoſe repetantur.

CAPUT VIII.

De Functionibus & effectibus inſtrumentorum, ſive organorum, partiumve aduatarum, ipſiusque integri corporis, quatenus id animæ domicilium eſt.

POſtquam ſic partes omnes corporis humani explicuimus, ſequitur, ut indicemus, quomodo eæ conſerventur? quæ ſint omnium & ſingularum functiones? quid ex harmonia, concentuque omnium reſultet effectus? operæ pretium erit, nec injucundum, hæc ſingularibus proſequi quibusdam meditationibus.

Vidimus hactenus, partes ſingulas mirifico ſtructas eſſe artificio, cunctasque ſumma inter ſe nexas eſſe prudentia, ut non privatis tantum pares ſint, præſtandis functionibus, verum & publicis & communibus egregie ſerviant uſibus, & prout ipſæ partes, ita & functiones ab iis expectatas infinitis inter ſe cohærere relationibus, ut altera juvet alteram, & juvare poſſit, omnes autem conſpirent ad conſervationem totius, verum, ſi puriore nunc meditationis acie hominem intuemur, vel, ſi ſolam quoque corporis ejus fabricam perluſtramus; oppido animadvertimus, ea omnia, quæ de ſtructura corporis infinitis plena miraculis dicta ſunt, cadere quoque in cadaver, idque omnem ſervare adhuc artificioſam illam fabricam, quæ par & apta cenſetur e ſuo mechaniſmo nobiliſſimis illis effectibus, qui vivo corpori adſcribuntur, a cadavere autem ſalva fabrica, manentibus partibus omnibus, abſunt. Ergo, concludimus inde, ad exhauriendam ideam *vivi corporis humani* non ſufficit, habere partes ejus omnes, nec ſufficit eas ea connexas eſſe ratione, qua ſunt in vivo, ſed accedere oportet aliud quoddam principium, quod & ſingulas partes, & corpus totum

tum *vivere* faciat, quod animet omnes partes, absque *vita* enim nulla iis apta erit obeundis actionibus, iisque præstandis effectibus, utcunque artificioſe conſtructa, quos in vivo conſtanter obſervamus; quid autem eſt, quod *vivere* facit? an *vividus* ille *ſpiritus*, quem in prima creatione Divina homini Omnipotentia inſpiravit? facile largiter, eſſe hunc, ſi modo inde ſaperem, & intelligerem, quis ille ſit ſpiritus? an eſt *calidum innatum*, ad quod toties provocabant Veteres? æque obſcura videtur eſſe hujus idea & origo; an Hippocratis principium ἐνορμῶν, ſive impetum faciens? quod obſervatione multa didicit, ſed æque minus quoad ſuam indolem eſſentialem cognovit, ac alii ſuos vitæ fontes; an eſt anima ipſa? reptamus & hic in tenebris; evidentiſſimum quidem eſt animæ in vivo homine commercium, & manifeſtiſſimæ relationes mutuæ apparent infinitæ, ſed quæcunque hactenus applicemus philoſophica principia, neque commercii cujuscunque modum ſatis perſpicimus, neque intelligimus, quomodo vitam anima infundat corpori, hocque illa quaſi perfundat? niſi ſpeculationum futilium erraticis figmentis eruditionis vanitatem alere placuerit. Neque clarior ipſius *Vitæ corporis* notio eſt, videmus quidem in abſtracto, eſſe illam ejus conditionem, illum per ſolidas, fluidasque partes ſtatum, ſub quo mutuum illud animam inter & corpus commercium durat utcunque, vel certe reſtitui poteſt, vel neceſſe non eſt, illud prorſus tolli. Quid vero ita dicimus? nulla profecto hinc ratione capimus, quid vita ſit? eſt enim quocunque nos vertamus, tantus conditionum ad vitam confluentium concurſus, tanta earundem farrago, ut, qui huic ſe immergere vult mari, & continuos deſcribat circulos, quales projectus in aquam lapis, & emergere cogitando vix unquam poſſit; quodſi ad unam aliquam alligare præcipuam functionem vitam volumus, ut verbi cauſa, ſanguinis circulationem, non modo hæc videtur vitæ potius effectus, quam cauſa eſſe, ſed & contradicit experientia, quæ docet: partes certe corporis vivere absque circulatione diu poſſe, imo vero committimus inanem principii petitionem, nam, quid cauſæ illi ſubeſt circulationi? reſpondes: motus cordis & arteriarum, nec non influens cordi ſanguis & irritans ad contractionem, jam hic habes circulationis effectum, quem ad cauſam ejus referre non licet; quæ cauſa eſt contractionis cordis & arteriarum? influentes per nervos ſpiritus animales? unde hi generantur & propelluntur? a ſanguine, circulationis ope acto ad caput; ita in gyrum omnis diſputatio rotatur, mallem igitur, quam plurima, omnique cura collecta ſuadere videntur experimenta, *vim* agnoſcere *oſcillatoriam* fibris omnibus inhærentem, & continuo activam, eamque vel in prima creatione fibris infuſam ab ipſo Deo, vel ex ipſa conſequentem primitivarum, elementarium prima compoſitione, nobis non patente, vel, ſi Adamo ſupponas ab ipſo inditam Creatore, poſteris ejus ab Adamo, ſuisque parentibus impreſſam, & a prima impreſſione atque perculſione *perpetuo mobilem*, quodſi autem hæ non arrident hypotheſes, nemini obtrudendæ, haud mihi eſt difficile, ignorantiam fateri meam.

Sanitas, cœleſte donum illud, eſt effectus integritatis functionum omnium, & ſingularum totius corporis, præſupponit vitam, & conſiſtit in plena libertate corporis, qua poteſt actiones omnes vivo proprias cum facilitate non modo exercere, ſed & oblectamento, & conſtantia quadam, quemadmodum autem vita diſtingui poteſt in vitam totius, & vitam partium, ita ſanitas, quæ *perfectiſſima vita* eſt, haud inepte dividitur in ſanitatem totius corporis, & ſanitatem partium ſingularum, licet enim partes omnes, & functiones mirifice inter ſe cohæreant, plurimisque relationibus conſpirent, obſervamus tamen alias earum partium & functionum nobiliores eſſe, alias ignobiliores, id eſt, alias magis directe, atque immediate, alias minus ad ſuſtentandam vitam & conſervandum Totum facere, alias deinde cum nobilioribus vicinius eſſe connexas, alias remote magis. Poſſunt ergo aliquæ labem pati quandam, ſalvis aliis & ſanis, poſſunt ignobiliores quædam corrumpi, & in totum fere deſtrui, vix turbata ſanitate Totius. Deinde quoque certo ſenſu, & reſpectu ſingulis Individuis propria ſua eſt, poteſt ſingularis fabrica hujus & illius compoſitæ partis, poſſunt ſingulares variæ conditiones, minus aut majus fibrarum connatum robur, humorum denſior, tenuiorve conſiſtentia, & aliæ plurimæ conditiones notabilem inferre hic mutationem, quæ facit, ut ſub hoc victu, ſub his conditionibus, ille ſanus vivat, quas alter ferre absque detrimento ſanitatis non valet; nam conſervatur & *Vita* & *Sanitas* uſu *ſex rerum nonnaturalium*, quas eas Medici vocant, quæ ad ipſam quidem hominis naturam directe non faciunt, vel in ſubſtantiam ejus non mutantur, ſed ad conſervationem tamen ejusdem inſerviunt, referunt eo: *Somnum* & *vigilias*, *cibum* & *potum*, *motum* & *quietem*, *aërem*, *excreta* & *retenta*, nec non *animi* affectus, vel *pathemata*.

Reſultata vero *Efficaciæ Vitæ* atque *Sanitatis* illæ ſunt: *Actiones naturales*, *vitales*, & *animales*, ad *naturales* referunt eas omnes, quæ famulantur præparandis & permutandis *ingeſtis* cibis in bonam materiam nutritiam, quin

& huic permutatæ, atque aſſimilatæ in humores humanos applicandæ pro nutritione immediate, quorſum pertinet actio & *concoctio*, *digeſtio* ventriculi, *chyli* elaboratio in tubo inteſtinali, ſeparatio fecum intra hunc facta, vaſorum actio in chylum, ejusque denſatio in ſanguinem, ſecretio quælibet, & quidquid neſcia quaſi mente peragitur in corpore ſano, neque tamen in ipſam vitam proximum habet influxum. Vocant autem Veteres eam *coctionem primam*, quæ fit in ventriculo & inteſtinis, ubi cruda tantum alimenta præparantur ad receptionem in vaſa lactea & ſanguinea, & ſegregantur ab iis quisquiliæ craſſiſſimæ, *altera coctio* Veteribus erat, ubi chylus e cibis extractus, vel oſculis venarum reſorbentium meſeraicarum exceptus cruori hepatis venoſo miſcetur, vel, ubi a ſyſtemate, oſculisque lacteorum vaſorum ſuctus in vena ſubclavia miſcetur ſanguini, ante cor quam influxerit, poſtquam vero cum ſanguine tandem & in ſyſtema vaſorum pulmonalium, & in aortæ ſyſtema eſt actus, ſuasque tum *partes recrementitias* in variis deponit & relinquit ſecretoriis officinis & *emunctoriis corporis*, *tertia* dici conſuevit *coctio*, in qua demum & magis quisquilias deponit ſuas, & exactius miſcetur, uniturque cruori, ut vera fiat *aſſimilatio*; Quantum vero nunc ad *Vitales* attinet *functiones*, per eas Medici proprie intelligunt illas, quæ intuitu obſervationum primo ad vitam proxime facere videntur, & quibus etiam ſublatis ipſa extinguitur vita, ſunt autem *Reſpiratio*, *circulatio ſanguinis*, & *libertas plena nervorum*, *cordi*, *pulmoni*que famulantium, *animales* tandem eæ ſunt, quæ nunquam fiunt absque conſcientia, vel & apparente mentis imperio, referunt eo *ſenſus* & *motus voluntarios*, ubi ſemper factam in corpore mutationem vel antecedit, vel comitatur nata in mente idea, objecto congrua; Omnes hæ actiones valde compoſitæ ſunt, ita quidem, ut, quoties attento etiam animo ſingulas earum perluſtrare conditiones volumus, vix filum invenire liceat Ariadneum, quo ex hoc multitudinis rerum labyrintho evadere tuto poſſimus.

Pro diverſitate quoque illa & humorum, & ſolidarum partium, partim connata, partim & uſu rerum nonnaturalium vario mutata diſtinguimus in ſingulis hominibus ſingulares conſtantes varietates, quæ non modo corpus ſuas ad actiones in alio reddunt agilius, in alio tardius, ſed & conſtantem & reſpondentem huic agilitati vel tarditati corporis mentis facilitatem comitem habent, aut inertiam, torporemve majorem offerunt, utrobique major eſt actionum vehementia, vel tarditas, pluresque ſunt ex parte præſertim corporis conditiones, vel cauſæ conſtitutionis talis, vel effectus, quas prolixe in Hiſtoricis temperamentorum deſcriptos legimus, uno verbo alias eam conſtitutionem ſingularem *Temperamentum* vocant, cujus potiora momenta & Veteres & Recentiores reduxerunt ad mixtionem elementorum ſanguinis, diverſamque horum inter ſe proportionem, non omni deſtituti ratione, quoniam tamen e ſanguine nutritur corpus totum, & partes omnes ſolidæ, fluidæque ſecernuntur & generantur, quoniam obſervamus certe, pro diverſitate mixtionis hujus varia etiam ſe ratione habere temperamenta. Maxime autem celebria ſunt: *temperamentum ſanguineum*, *cholericum*, *phlegmaticum*, & *melancholicum*, *ſanguineum* ſcilicet vocant, ubi per vaſa omnia bonus fluit, & optime miſtus cruor, ubi prædominatur ita ſanguis, ut vix alios humores, & partes alias cruorem conſtituentes diſtinguere poſſis, *cholericum*, ubi prædominatur *cholera*, *bilis*, parsque ſulphurea, oleoſa ſanguinis tenuior, *phlegmaticum*, ubi abundat aqua, & laxior eſt, ut ſanguinis, ita & ſolidarum inde paratarum partium cohæſio, *melancholicum*, ubi atra bilis, vel potius oleum ſanguinis ſpiſſum cum partibus terreſtribus abundat, & prædominatur, totaque ſanguinis maſſa denſior eſt, ſpiſſiorque. Jam vero varia etiam datur mixtura temperamentorum horum, certe, ſi licet ex effectibus concludere, obſervamus quandoque in uno eodemque Individuo multas conditiones verbi cauſa, quæ temperamentum arguere videntur ſanguineum, alias quæ cholericum indicare magis videntur, conjungimus tum nomina, & nomen ejus, quod prædominatur, poſtponimus, ut quando ſanguineum prædominatur, & junctos tamen etiam habet effectus cholerici, temperamentum dicimus tum: *cholerico-ſanguineum*, & ſic ſe res etiam in reliquis habet compoſitionibus. Plura vero de hac temperamentorum doctrina non lubet addere, cum & ab aliis fuſe tradita legantur, & potiora ſint obſcura valde, quæ nunquam absque oppoſiti formidine perſpicue atque aperte ſatis explicari, & definiri poſſunt.

Percurramus adhuc aliquas actiones compoſitas, quæ perficiuntur ab organis valde compoſitis, videamus primo *Reſpirationem*, quantus eſt hujus in circulationem ſanguinis vivi, natique hominis influxus? profecto ſtagnant & hic, ni moveantur, aquæ; licet enim proprie ſuam ſanguis projectionem ab embolo cordis & vaſorum efficacia expectet, brevi tamen fluxus ille interrumpitur, ſuſpenſa diu pulmonum actione, vel *Reſpiratione*, quæ conſiſtit in inſpiratione aëris externi & receptione in pulmones per tracheæ tubum, & conſequente alternatim ejusdem exſpiratione, *follis* enim formam habet & uſum pulmo, cujus roſtrum trachea eſt. Nexus autem ille Reſpira-

ſpirationis cum circulatione ſanguinis poterit aliquo intelligi modo, ſi comparemus ea, quæ Angiologia docuit pulmonum cum reliqua eorundem fabrica. Id vero altioris eſt indaginis, quid ad reſpirandum incitet, ac irritet? Facile quidem reſpondes in adulto: aër intra pulmones calore rarefactus, moleſtiam ſua creans expanſione; unde autem irritatur fœtus modo in lucem editus? hic ab extus certe nullum adhuc hauſit in pulmones aërem, an ergo aliquid aëris pulmonibus connatum eſt? an vero aliquid extricatur & evolutum eſt ex humoribus e materno ſanguine ſecretis, & in ſuperficiem bronchiorum internam excretis? deſerit ſane hic meditantem cogitationis filum.

Sed aliud videmus etiam *follis* hujus *pneumonici* reſultatum, ab ipſa reſpiratione prorſus diverſum, & per eadem tamen effectum organa, quibus pro reſpiratione opus habemus, nimirum intra follis roſtrum, tracheæ tubum, vel ejus potius caput, *Laryngem* formatur *Vox*, omnis enim ille aër, qui exſpirando e pulmonibus redditur, qui tot actus fuit per ambages, tot percurrit conoideos canales, ex ampliſſimo hoc oceano cogitur in tubum ſimplicem fiſtulæ tracheæ, atque, ubi pro voce uti eo volumus, intra eam & maxime laryngem diverſimode percuti poteſt, allidendo ad ſuperficies cartilaginum laryngis duriores, donec tandem per glottidis rimam, pro lubitu arctandam & ampliandam articulato ſono exprimatur, certe hæc præcipua mutatio eſt, quam, ut *Vox* & *Loquela* fiat, experiri aër debet, licet utique rima illa expreſſus etiam varias adhuc patiatur concuſſiones & modulationes in faucibus, omnique ore. Talis profecto nexus arti humanæ imitabilis nulli, hæc mediorum, finiumque catena ſummam ſpirat Divinam Sapientiam, neque poſſumus etiam exoſculari ſatis inſigne hoc ejus beneficium, quo, quæ mente cogitata verſamus, tanta facilitate mediante *voce* ac *loquela* poſſumus alter aperire alteri.

Quodſi autem nunc ulterius attentionem noſtram applicamus etiam aliis *organis compoſitis*, & eorum effectibus, undique ſane admiratio Divinorum operum creſcit, & in immenſum quidem, provoco ad *ſenſus externos*, & *organa ſenſuum*, quam tuto commodeque ſingula *locavit* Divina manus? quam ſcite ſingulas eorum partes coordinavit? quantam ſingulis perfectionem dedit? *Audimus*, dum percuſſus aër ſonorus, & in undas actus gyroſas ab aure captus colligitur, per meatus auditorii tubam irruit, ibi tympani membranam pulſat, ſicque auditus officula tremere facit, unde impreſſus motus ope tenuiſſimi aëris tympano concluſi per binas illas *feneſtras*, *ovalem* & *rotundam* propagatur ad auris intima, *cochleam* & *labyrinthum*, ut ibi tenerrimas zonarum & chordularum nervearum fibrillas ea impreſſione afficiat, quam recurrentem quaſi ad originem nervi auditorii, oblongatæ medullæ inhærentem conſequatur idea ſoni auditi. Quanta, & quot miracula *Viſus organum* continet? quanta ſenſus hujus præſtantia? quantus conditionum, artificio ſummo coadaptatarum concurſus? quam compoſitus eſt modus, quo *Viſio* exercetur? Illabitur radius luminis ab extus per convexum corneæ ſegmentum, in eo mox, tanquam in medio denſiore, ac aër eſt, pauliſper ad perpendiculum refringitur, vix autem hoc deſerit, & ingreditur medium cornea tenuius, id eſt, aqueum humorem, ex hoc lentem ſubit cryſtallinam, medium denuo aqueo humore denſius, ex eo autem fertur per vitreum humorem, medium paulo tenuius cryſtallina lente, ſicque mox refringitur ad perpendiculum ab eo, prout eſt neceſſe pro collectione, vel diſtractione radiorum, pone illum vitreum humorem collecta imaguncula ſiſtit ſe retinæ, illique neceſſariam impreſſionem impertitur; imo vero, ut modus irruentium ſervetur radiorum, foramen illud, quod pone corneam intra oculum eſt, & quod farcit bulbuli lentis convexum ſegmentum anterius, *pupilla*, modo contrahit ſe, arctatque, modo ampliatur magis, ad appulſum luminis nimirum conſtringitur ſubito multum, in obſcuritate majore atmoſphæræ notabiliter magis dilatatur, videtur *pupilla* hæc exſecta eſſe quaſi e media *uvea*, cujus nigredo multos abſorbet ſpurios radios, *cameræque obſcuræ* ſpeciem dat in oculo. Et ne ullum ſubterfugiat oculum objectum externum, & caput mobile totum eſt, & oculus ipſe mira gaudet ad motum facilitate, quin eum in finem proprios habet ſuos muſculos, quibus attolli, deprimi, ad latera ſubito flecti, totusque in gyrum verti, rotarique poteſt.

Quam apte *olfactus organum*, naſum in faciem poſuit adorandus humanæ machinæ Auctor? hic effluvia corporum ſubtiliſſima, tenuiſſimæque illorum atmoſphæræ aëre comite, utpote ſuo vehiculo, mediante reſpiratione ſponte determinantur ad nares, ibidemque per omnem earundem internam ſuperficiem diffuſas nerveas olfactorii paris ramificationes filamentoſas afficiunt, ut mutationem imprimant eam, quam ad cerebrum delatam idea hujus & illius odoris conſequitur, & videtur quidem hic ſenſus quaſi medius eſſe inter reliquos, nec enim ad longam nimis diſtantiam objecta percipit externa, ut viſus & auditus, nec etiam nimis propinqua, ut exerceatur, objecta deſiderat, expectatque, ut guſtus, & tactus. *Guſtus organum*, lingua, objecta immediate ſibi applicata, ſuisque papillis ſphæroideis, variæque figuræ, per omnem ſuper-

ficiem ejus digeſtis, diſtinguit ſingulari ſenſatione, huicque reſpondente idea; *Tactus organum* illæ ſunt papillæ nerveæ, forma diverſiſſimæ, quæ per cutem omnem diffitæ ſunt, & per epidermidem, ſive cuticulam prominent, proprium tactus organum locatur in apicibus digitorum, ſed eſt etiam *tactus univerſalis*, qui tantum non in omnes externos, internosque nervos cadit, & in illa ſenſatione alias dicta conſiſtit, quam omnes inter ſe communem nervi habent, & quæ non, ut in proprio tactu, opus habet, ut objectum extra corpus noſtrum conſtitutum ſentienti nervo admoveatur, ubi autem reliquæ conditiones eædem ſunt, & effectus idem eſt, ut quando intus dolor percipitur in hepate, abdomine, vel alibi, interim in hoc tamen tertio conveniunt univerſalis hic & proprius tactus, quod in utroque objectum aliquod externum, id eſt, extra ſentientem nervum hunc contingat, & afficiat, ita in ſenſationibus internis eſt vel acrimonia nervo applicata, quæ nervum vellicat, vel tumor, pondus iners e congeſtione humorum, infarctuque vaſorum nervo vicinorum, nimisque diſtentorum.

Verum, utcunque ſubtiliter proſequamur modum, quo ſenſus externi exercentur, nunquam tamen eorum conditiones omnes exhaurimus absque commercio & influxu animæ in ſubſidium vocato, quod enim ultimum diſtinguimus, eſt *idea mentis*, relinquamus eam Philoſophis; omnes interim ſenſus, ante ad hunc quam pervenerint terminum, interjectas habent ſubtiliſſimas mutationes corporeas, quas vix ſenſus aſſequuntur, impreſſa enim ab objecto externo mutatio in partem nervi ſenſorio implantatam organo defertur procul dubio ad cerebrum, fontemque nervorum, ibi ſuſpicati fuerunt Veteres: eſſe aream quandam ſingularem, *Senſorium commune*, in quo, quaſi ductis a ſenſibus quinque lineis, tanquam in centro colligantur illæ impreſſiones omnes, hæreant, & veſtigia relinquant corporea, vocaverunt has ultimas impreſſiones, quas ultra diſtinguere nihil licet, *Ideas materiales*, ob ſummam ſubtilitatem, & proximum cum ideis mentis concurſum. Certe videntur *interni* qui vocantur *ſenſus*, phantaſia vel imaginatio, memoria, & qui ſunt reliqui, haud raro his uti materialibus ideis.

Supereſſent adhuc plurima, jucundiſſimis fœcunda meditationibus, quæ humani corporis vivi œconomia offert, & ad conſervationem totius facientia, & propagationem humani generis, liceat autem, ut contrahamus vela, ea nominare tantum. Quis æſtimare ſatis poteſt gratam illam permutationem alternantem ſtatus *vigiliarum* & *ſomni*, quam Summus Creator in commoda conſervandi corporis admiſit, & neceſſariam prorſus fecit? Quis non agnoſcit, mirificas prorſus eſſe rationes *appetitus*, *famis* & *ſitis*, naſcentis in homine? quis non eam veneretur ſtructuræ totius præſtantiam, qua quod longiore atque crebriore, aut fortiore *motu* deteritur, ſola *quiete* reſtituitur, viresque priores recuperat? Quis non *motuum voluntariorum muſcularium* ſummam pernicitatem admiretur, mirumque animæ apparens in eos imperium?

Quis *Generationis hominis* opus absque ſtupore ſummo intueatur? quis confluxum plurium illarum conditionum ex utroque ſexu percurrat, earumque miracula omnia emetiatur? Quis non in ſexu ſequiore ſingularem illam Naturæ legem admiretur, quæ *catamenia*, vel *menſes* fluere jubet? quis non obſtupeſcat, cum Naturæ hominem *in utero materno formantis* & perficientis, *plaſtica* ſua & *vegetativa* vi legit, & ſcrutatur veſtigia? & cum frequentem adeo *temporis* conſtantiam, quo hæc fiunt, & finiuntur, ruminatur? quis non e coordinatione conditionum & *cauſarum partus* ad prudentiſſimum concludat Naturæ Auctorem? quis non *ipſas partus circumſtantias* & *naſcentis* hominis *primordia* Divinæ Omnipotentiæ non minus argumenta eſſe agnoſcat ac ſapientiæ? Ut omnes illas taceam Naturæ ab ordine conſueto deviationes, quibus homines pariter quidem perfectos, modo autem *gigantes*, modo *pygmæos*, modo alia ratione forma externa diverſos ab aliis, modo & *Hermaphroditos*, id eſt, utriusque ſexus genitalibus, certe apparenter, præditos gignit, ſi enim conſuetæ tantum & maxime ordinariæ inhæreamus formæ, ſtructuræque hominis, devotiſſima non poſſumus non adorare mente Divinam ſapientiam, quæ difformi e maſſa tales fibras regulares, membranas, carnes, arterias, venas, oſſa, cartilagines, ligamenta, viſcera, inteſtina, & artus integros formavit; quanta Dei Bonitas eſt, quæ his omnibus debitam conſiſtentiam, figuram, magnitudinem, numerum, formam & ſitum dedit? quanta Omnipotentia, quæ hæc omnia ita nutrit & conſervat, vinculoque amiciſſimo eo ſcopo nectit inter ſe, ut mutuas ſibi præſtare operas poſſint? Gratias idcirco immortales Deo agamus Immortali.

EX-

EXPLICATIO ICONUM OMNIUM

Notamus de his, quod illarum primæ tres majores diviſæ ſint in *Viſiones* denuo ſubdiviſas in *facies*, numero diſtinctas.

Explicatio igitur *Viſionis primæ* huc redit: ubi partes externæ conſpicuæ nominis a parte antica repræſentantur.

In *facie I.* deſignat.
a. c. i. Caput in genere.
a. b. c. partem capillatam.
a. Synciput.
b. Verticem.
c. Occiput.
d. Regionem temporum.
e. Aurem.
*. Frontem.
*. f. g. i. Glabram partem capitis, vel faciem.
f. Genam.
g. Oris caveam.
h. Labium ſuperius, Myſtaces.
i. Mentum.
k. Cervicem, Nucham.
l. Collum, Jugulum,
m. Regionem Clavicularum.
n. Manus volam.
o. p. q. r. ſ. digitos.
o. Pollicem.
p. Indicem.
q. Medium.
r. Annularem.
ſ. Auricularem.
t. Cubitus internam partem.
m. a. i. Truncum corporis; ab extremo colli fine ad initium uſque pedum.
m. u. y. x. a. Thoracem.
u. u. Pectus.
x. x. Coſtarum fornicem.
y. y. Mammas.
z. Papillam cum areola ſua.
a. Scrobiculum cordis.
A. a. i. Regionem abdominis.
b. Hypochondrium dextrum.
c. Hypochondrium ſiniſtrum.
d. Regionem umbilicalem.
A. Umbilicum.
e. e. Ilia.
f. Regionem hypogaſtricam.
g. g. Regionis hypogaſtricæ latera.
h. h. Regionem inguinum.
i. Regionem pubis.
k. k. Partem femorum interiorem.
l. Patellam.
m. Genu.
n. Tibiam.
o. Tarſum.
p. Dorſum pedis.
q. Malleolum internum.
r. s. t. u. x. Digitos pedum.

Facies II.

Exprimit partes externas a poſticis.

a. Frontem.
b. Oculum.
c. Naſum.
d. Os duobus labiis limitatum.
e. Collum.
f. Jugulum.
